DE VELLEI PATERCULI GENERE DICENDI
QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX MENSIS JULII A. MDCCCLXXXVIII

HORA XI

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS MILKAU

LOETZENIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PHILIPPUS TRIBUKAIT, CAND. PHIL.

EDUARDUS LOCH, SODALIS SEMINARII PHILOL.

REGIMONTI.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCLXXXVIII.

CAROLO FERDINANDO SOMMER

GRATI MEMORISQUE ANIMI MONUMENTUM
HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

[In locis Vellei afferendis secutus sum editionem cura et studio C. Halmii Lips. a. 1876 typis impressam.]

Non omnes omnibus temporibus idem iudicaverunt de Vellei Paterculi elocutione, id quod pro diversitate ingeniorum[1]) in re aliqua ex parte arbitraria aliter fieri nequit. Iure vero mireris, longe plurimos priorum quidem saeculorum viros doctos, ex quibus Muretum[2]) Lipsium[3]) Gerh. Joh. Vossium[4]) Nic. Heinsium[3]) Ruhnkenium,[3]) subtilissimos illos proprietatis latinae iudices, nominatim proferre satis habeo, abundanter et incredibilem in modum laudare Vellei *elegantiam.* Nimirum splendido sententiarum acumine et arguta verborum oppositione adeo illi quasi obcaecati sunt, ut, iudicio praeiudicata opinione semel corrupto, vitia, quibus Vellei dictionem laborare hodie iam abunde constat, non vide-

1) Quae quo processerit hac in re, multa possum testimonia proferre; illud unum adnoto, claudicantes illas periodos ut adiectivis et participiis cumulatis ita interiectis enuntiationibus relativis ac parenthesibus molestissimas, quas F. Kritzius in Prolegg. p. LXI sqq. congessit, a Krausio in Prolegg. p. 19. 'insigne operis ornamentum delectamentumque' appellari.

2) Ad Cic. Cat. III 10. (teste Ruhnk.)

3) Cf. Praefationes Ruhnken. editioni a. 1779 praemissas et Walchii hist. crit. ling. lat. (1716) p. 375 sq.

4) Hist. lat. I 24. p. 109.

rent. Quin etiam inventi sunt nonnulli, qui eum humili atque servili adulatione Tiberii potissimum gratiam aucupatum esse concedere non sustinerent.[1]) Qui vero contemptis valentissimis illis adversariis munditiam subtilitatemque orationis Velleianae in dubium vocare ausi sunt, Aldus Manutius Pauli F.[2]) Barthius[3]) Burmannus maior[4]) alii, accusationem probabilibus atque idoneis argumentis confirmare neglexerunt. Neque cuiquam maiorem hi vituperatores movere stomachum quam Ruhnkenio, elegantissimo ceteroquin latini sermonis aestimatori, qui adeo Velleium omnibus in rebus admirandum esse sibi persuaserat, ut vel importunam illam comparationem ingeniorum cum bestiis capso inclusis[5]) laudaret et uno tantummodo loco[6]) Velleium nimio captandorum acuminum amore in frigus putidum incidisse daret. Quo minus mirandum, eum acerbissimis verbis respondere[7]) Aldo, qui satis moderate Velleium 'non optimum latinitatis auctorem' vocaverat. Barthium deinde quomodo dimiserit qui tanti putet cognoscere, conferat Ruhnkenii adnot. ad II 21, 1 cum iis, quae ipse dixi de verbo *praedicere* (p. II). Burmanni denique iudicium, multum Vellei dictionem abhorrere a naturali illa Augustei aevi simplicitate et munditie, non melius refelli a se potuisse dicit, quam 'locutione quaque, de qua talis dubitatio nasci posset, optimorum scriptorum exemplis confirmanda.'

1) Ruhnk. in praef. ad ed. Vell. a. 1779 p. 11. — Caroli Morgensternii comment. crit. (ed. Kraus. a. 1800 praemiss.) p. 142. — F. Haasius in Ephem. Litt. Hal. a. 1841 no. 196. p. 347.

2) Ad Vell. II 52, 3.

3) Ad Stat. Achill. II 146 (tom. III p. 1724) et Advers. XVI, 7 extr. (p. 833. ed. Francof. a. 1624).

4) Cf. eiusdem praef. ed. Ruhnk. praemissam.

5) I 16, 2.

6) II 4. 6.

7) Praef. p. 11.

Sed hac in re quantopere deflexerit vir clarissimus de recto cursu, legas velim exempli causa quae ad II 95, 3 adnotavit, ubi formulam loquendi perperam deteriori aetati tribui probaturus testimonia ex Solino, Apollinari Sidonio, Ammiano Marcellino congessit. Immerito igitur Krausius[1]) et H. Georges[2]) uno ore consentiunt, Ruhnkenium 'breviter et optime' vituperatorum argumenta refutasse.

Recentioris demum aevi viris eruditis Sauppio[3]) et in primis Kritzio[4]) contigit, ut certis iam argumentis demonstrarent — id quod Aldo praeeunte pauci admodum quasi per nebulam viderant —, Vellei elegantiam a tot tantopere iactatam nullam esse, inquinari contra eius dictionem vitiis haud minimam partem ipsius indoli tribuendis.

Nec tamen doctissimi illi viri copiam, quam potuerunt, persecuti sunt; immo Velleiani generis dicendi proprietates adumbrantes magis quam enucleate subtiliterque explanantes haud paucis in eodem litterarum genere versandi reliquere locum. Deinceps igitur Nic. Oestlingius[5]) C. de Oppen[6]) Fritschius[7]) C. de Moraws-

1) In praef. ad. ed. Vell. a. 1800 p. 34.

2) De elocutione M. Vellei Paterculi, Diss. Lips. 1877 p. 1.

3) Mus. Helv. a. 1837 vol. I. p. 173—180.

4) Prolegg. ad Vell. ed. a. 1840 p. XLVI—LXXV.

5) N. Oestling, de elocutione M. Vellei Paterculi commentatio, Upsal. 1874. Hunc libellum, cuius — quod quidem sciam — praeterquam K. E. Georges in praef. ad VII. lexici sui ed. nemo mentionem fecit, quamquam operae non peperci, in usum meum convertere non potui. Itaque lexicographo doctissimo l. l. iudicanti, filii sui eadem de re dissertationem accuratius diligentiusque (gediegener) conscriptam esse Oestlingii commentatione, temere fidem habere coactus sum. Verum si ex eiusdem 'De elocutione C. Sallustii Crispi' commentatione (Upsal. Univ. Årsskr. 1863) coniecturam facere licet de illa, non inique censuit K. E. Georges.

6) C. de Oppen, de M. Velleio Paterculo, Diss. Rost. a. 1875 p. 13—22.

7) Fritsch, Über den Sprachgebr. des V. P. Ein Beitrag zur hist. Synt. der lat. Spr. I. Progr. Arnst. 1876.

ki[1]) H. Georges[2]) O. Langius[3]) F. Helmius[4]) H. Felix[5]) maiore vel minore cura ac diligentia de Vellei sermone disputaverunt, ita ut nihil iam in eo superesse videretur, in quo quis cum fructu elaboraret. Atque profecto postquam ipse, quae ad illustrandam scriptoris rationem syntacticam pertinerent, quam diligentissime congessi, inanem me operam sumpsisse post alteram praecipue Langii commentationem sero cognovi. Quae cum ita essent, omni spe latius quam illi hoc in campo vagandi et novi quantulumcunque eruendi ad irritum redacta, ante omnia destitutas partes excipiens etymologiam quam vocant quamque soli Fritschius et Georges ἐν παρόδῳ vel appendicis loco attigerunt, mihi vindicavi provinciam. Deinde autem, quamquam H. Georges K. E. Georgis lexicographi filius in disputatione modo commemorata plurimum tribuit explicandis excutiendisque vocabulis, quo minus ipse de integro copiam verborum a Velleio usurpatorum alacriter perscrutarer, non deterritus sum. Ac labore non frustra suscepto bonum me egisse patrem familiae, ut Senecae[6]) verbis utar, et ampliora fecisse accepta, spero fore ut tibi persuadeas, si priusquam comparationem mei cum illius scripto facias, prooemium indicis a me conscripti legeris.

Iam vero extremam huic opusculo imposueram manum, cum ex inopinato in conspectum mihi se dedit dissertatio Felicis, qui p. 16—37 novam de vocabulorum

1) Philol. a. 1876. vol. 35. p. 715—717.

2) H. Georges, de elocutione M. Vell. P. Diss. Lips. 1877.

3) O. Lange, Zum Sprachgebr. des V. P. Progr. Putb. 1878. — idem: Zum Sprachgebr. des Vell. Pat. Progr. Stett. 1886.

4) F. Helm: Quaestiones syntact. de particip. usu Tac. Vell Sall. Lips. 1879.

5) H. Felix: Quaestiones grammaticae in M. Vell. Paterculum Diss. Hal. 1886.

6) Sen. Ep. VII 2,7.

usu Velleiano quaestionem instituit. Minime igitur mirum, si primo ne oleum et operam perdidissem verebar; sed brevi vixdum etiam paginis nonnullis festinanter perlectis vano in timore me fuisse nescio laeto maestone dicam animo perspexi. Quam enim voles strictim attingas illum libellum: cognosces incredibilem fere socordiam totumque paene volumen ei erit implendum, qui omnes eius errores referendi atque refellendi inierit consilium. Equidem, quamquam operae pretium facere mihi non videbar, tamen, ut neglegentiam illam paucis notarem, peccata tribus in pagellis obvia hic enumeranda putavi.

Ac primum quidem nescio an operarum indiligentiae nonnulla parte tribuendum sit, quod p. 17—19 plus viginti loci[1]) falso allati sunt. Deinde autem ex duobus et triginta vocabulis, quae Felix ut a Velleio primo e poetarum sermone deprompta huc congessit, iam apud prosae orationis scriptores Velleio antiquiores eadem notione inveniuntur haec:

fulgor transl. signif. (Liv. XXI 43, 12).
lux pro *vita* (Cic. Tusc. II 4, 10 et saepius).
mortales pro *hominibus* (Cic. div. Caec. 2, 5 saepius).
agilis (Sis. Hist. III. ap. Non. p. 58, 1. Liv. XXX 10, 3)
celeber transl. est *qui colitur* (cf. Kühnast. Liv. Synt.[2] p. 340).
cognominis (Liv. V 34, 9).
conspicuus (Liv. I 34, 11).
fugax (Cic. fam. X 12,5).
gravis i. q. *languens* (Liv. XXI 48, 4 saepius).

1) Hor. Epl. II 11,12. Lucr. I 285. Verg. Aen. X 36. Ov. Met. XV 878. ibid. I 438. Hor. C. I 16,3. Verg. Aen. II 336. Hor. C. IV 2,41. Verg. Aen. VI 836. Tib. I 11,10. Ov. Amor. I 8,51. Verg. Aen. VI 128. Ov. Her. 16,51. id. Amor. II 4,27. Tib. I 1,33. Hor. C. III 16,18. Verg. Aen. X 725. Ov. Trist. V 2,3. id. Met. III 322. Verg. Aen. VIII 324. Ov. Met. IV 724.

horrendus pro *horribili* (Cic. Tusc. II 1, 2. Liv. I 26, 6. IX 36, 1).
obsitus transl. est *tectus* (Liv. I 14, 7 saepius).
pernix (Liv. XXVIII 20, 3).
secundus i. q. *inferior* (Liv. XXIII 10, 7)

E contrario denique Felix neglexit totidem fere voces, quas Velleium a poetis desumpsisse veri est simillimum quasque ex indice meo repetere supersedeo.

Possint iam haec sufficere ad totam commentationem notandam; nam leviora illa praetereo, quod in singulis vocabulis pertractandis locos Velleianos non nunquam omisit. Sed huiuscemodi errores in aliorum quoque dissertationibus, etsi multo rarius reperiri nemo nescit. Quid quod in libello prid. Non. Jan. a. 1887 publici iuris facto eorum omnium, qui post Sauppium et Kritzium in Vellei genere dicendi elaborarunt, nullius fit mentio? Ignarum puta fuisse Felicem illarum disputationum: nullo pacto inauditae segnitiei crimen propulsare poterit. Sed non temere mihi persuasi, eum si non aliorum at certe Georgis dissertatione in usum suum conversa minus honeste, unde profecisset, reticuisse; cuius rei unum idque certissimum argumentum afferre satis habeo: Plus virginti quinque voces e lingua graeca desumptas, quas infra p. 51 in unum congestas invenies, Velleius orationi suae immiscuit. Num igitur casu factum esse putabis, ut Georges[1]) et Felix[2]) cum verborum graecorum usurpationem paucis attingerent, omnibus fere eiusmodi vocabulis magna concordia, maiore socordia neglectis haec tria *dynastes naumachia tetrarches* enumerarent?

Sed ad propositum redeo, ut lectoris fastidio occurram. Iam quod attinet ad universam Vellei indolem ac

1) L. c. p. 6.
2) L. c. p. 53.

narrandi describendique rationem, hac quoque in re nisi minutias nonnullas, quas paullo infra quam paucissimis absolvam, nihil mihi reliqui fecerunt Sauppius F. Haasius[1]) Kritzius alii. Quapropter cum nec otii nec stomachi mei sit, aut res prope ad satietatem repetitas novo aliquo orationis flore vestire aut per longas verborum ambages trahere quod alii breviter dixerunt, ego silentio praetereo nimium istud argutiarum et antithesium aucupium, pratereo hyperbolarum studium et quaecunque ex rhetorum scholis profecta esse videntur,[2]) praetereo ingratissimas illas ut verborum et locutionum ita sententiarum repetitiones, praetereo enuntiationes nectendi neglegentiam et inscitiam struendi periodos. Etenim de omnibus his rebus post Kritzium nemodum novi quidquam addidit neque ego habeo quod addam.

Has vero Velleianae elocutionis proprietates clare ac dilucide perspici quantum hodieque valeat ad rectam in emendando Velleio viam ineundam atque tenendam, uno exemplo demonstrare mihi liceat. Illo enim loco qui est II 124, 3 'post redditum caelo patrem et corpus eius humanis honoribus, numen (*nomen* AP) divinis honoratum' *numen* legitur ex Krausii coniectura ab ipso inventore in contextum non admissa, quam inde a Kritzio omnes editores cupide arripuerunt. Nec vero quisquam

1) Ephem. Litt. Hal. a. 1837 no. 102. a. 1841 no. 197.

2) Ut vero paullo ante diversitatem, ita hic mirari libet ingeniorum aequalitatem. Quippe Krausius Proleg. p. 25 et Georges l. c. p. 3 uno ore totidemque verbis consentiunt, Velleium praeter historici simul oratoris partes agere, quod maxime perspicuum esset, ubi in ultima parte res Caesarum, in primis Augusti et Tiberii enarraret ita, ut medius fieret inter historicum et panegyricum scriptorem. — An quisquam audebit suspicari, Georgi adeo placuisse Krausii verba, ut illa sibi adsumere non dubitaret? — Cfr. etiam Olaum Borrichium (in Walchii hist. crit. ling. lat. p. 376), cui Velleius 'inter historicum et panegyricum medius esse videtur'.

codicis lectionem ferri non posse argumentis probandum putavit nisi Kritzius, qui quidem hanc unam attulit rationem, prorsus inepte *corpori* opponi *nomen.* Sed conferas velim locum qui est II 54, 2: 'nusquam erat Pompeius *corpore*, adhuc ubique vivebat *nomine.*' Quid iam videtur? Quis reputans, quantopere sibi placuerit Velleius isdem in verbis sententiis antithesibus repetendis,[1]) non sibi persuadeat, sine ulla causa viros doctos vexasse locum sanissimum?

Venio ad *festinationem* illam non semel a Velleio iactatam,[2]) qua de explicanda Kritzio in ceteris acutissime Vellei ingenium assecuto omnino non adsentior. Primum enim quod vir doctissimus festinatione factum esse dicit,[3]) ut scriptor arripiens quod sese offerret nimis crebro nonnullarum vocum atque locutionum usu non minus quam eorundem vocabulorum vel in eadem enuntiatione vel in confinio duarum repetitione dictionem suam deformaret, mihi quidem haec vitia ab imperfecta eius arte repetenda esse persuasissimum est. Ut vero hanc meam sententiam certis rationibus extra omnem dubitationem ponere in tanta totius rei ambiguitate non possum, sic te mihi accessurum esse non diffido, si consideraveris, quam late pateant ac per totum opus diffusa sint studium illud acutarum festivarumque sententiarum et argutae verborum oppositionis affectatio, quae perinde atque immanes istae periodi[4]) non tam festinationem quam sudorem produnt et 'demorsos ungues', ut ait Persius.[5]) Eum enim, cui ad animos no-

1) Sauppius in Mus. Helv. a. 1837 I. p. 175 sqq. et Kritzius in Prolegg. p. LXVI sq.

2) Omnes locos huc pertinentes congessit Kritzius Proleg. p. XXII.

3) Proleg. p. LXV sqq.

4) vid. adnot. I. p. 1.

5) Pers. I 106.

stros in singulis fere paginis omnium acuminum abundantia satiandos satis otii fuisse videmus, temporis angustiis quominus orationem apte variaret impeditum esse prorsus incredibile est.

Deinde autem, quod idem addit, Velleium 'celeri calamo' scribentem saepenumero ad sermonis familiaris neglegentiam accedere, nequaquam dubito, quin de maxima parte eiusmodi locorum, quos in Proleg. p. LXXII sqq. congessit[1]) et quos in immensum augere facile est, longe secus iudicandum sit. Quod quo facilius perspiciatur, ex magna exemplorum copia nonnulla huc transscripta ante lectoris oculos proponam: Ne ab *huius* quidem usura *gloriae* temperavit animum II 34, 2. Mummius . . . cum *maximorum artificum* perfectas *manibus* tabulas . . . in Italiam portandas locaret I 13, 4. *Acciverat* gerens contra Pompeium bellum *ex Africa* Caesar *Lepidum* II 80, 1. Non opus est, pluribus ostendere, cur abhorream a Kritzii iudicio. Consuetudinem enim familiarem in eo cerni posse, quod verba sensu artissime cohaerentia uno aut pluribus interpositis insolentius ac durius disiungantur,[2]) quis est quin praefracte neget?[3]) Equidem huius inusitatae verborum collocationis causam non ex festinatione aut sermonis familiaris neglegentia repeto, sed ex novitatis isto aucupio tam Vellei ipsius quam totius aetatis proprio. Dedita vero opera, non fortuito nec ex solito sermonis familiaris more Velleium a vulgari verborum ordine recessisse, uno loco, qui est II 100, 1: 'Sensit terrarum orbis digressum a *custodia*

1) Cf. quoque Kritzii indicem in annot. v. *famil. sermonis neglegentia.*

2) Kritzii Proleg. p. LXXIII.

3) C. de Oppen l. c. p. 19 et Felix l. c. p. 23 contra Kritzium consentiunt, liberiorem illum verborum ordinem poetarum imitationi tribuendum esse.

Neronem *urbis*' ei quoque concedendum erit, cui ut persuaderem adhuc mihi non contigit. Scriptorem enim verborum *orbis* et *urbis* oppositione annominationis acumen quoddam affectasse eiusque illustrandi gratia in eum ipsum ordinem voces digessisse luce clarius est. Verum tamen Kritzius[1]) etiam hunc locum ad Vellei festinationem illustrandam adhibuit.

Quae cum ita sint, omnino si reputaveris, Nostrum mature in castra delatum 'non satis temporis iis studiis dedisse, sine quibus ad perfectionem aliquam et iustum orationis robur perveniri nequit',[2]) profecto non est quod dubites, quin festinatio illa totiens commemorata magis de operis tenuitate et brevitate quam de tempore urgente accipienda sit.[3]) Itaque qui in meam sententiam discesserit, non iam cum Kritzio[4]) iudicabit, Velleium temporis angustiis impeditum saepe infra virium modum substitisse, quam rem plurimum valere ad scriptorem excusandum. Sed facile concedo hanc meam ratiocinationem improbantibus, totam rem non magni esse momenti.

Priusquam vero, id quod extremum mihi proposui de allitterationis apud Velleium usu paucis disputem, similes quasdam nugas non minus ad aurium delectationem confictas nunc in medium proferre iuvat. Nec tamen omnes verborum figuras investigare mihi in animo est, cum praesertim interpretes nec non qui se-

---

1) Proleg. p. LXXIII.

2) Kritzii Proleg. p. LX.

3) Cf. II 86, 1: Quid ille dies terrarum orbi praestiterit . . . *quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat?* II 55, 1: *Admonet promissae brevitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint.* Cf. etiam II 29. 2. II 48, 6. II 52, 3. II 89, 1 et 6. II 96, 3. II 99, 3 et 4. II 103, 4.

4) Proleg. p. LXV.

paratim de Vellei genere dicendi confecere libellos hanc et illam aut leviter perstrinxerint aut fusius exposuerint. Immo equidem adhuc neglecta curans ex dicendi ornamentis ea potissimum persequar, quae Graeci *paronomasia* complectuntur, Cornificius IV 21, 29 sic definit: '*annominatio* est, cum ad idem verbum et ad idem nomen acceditur commutatione unius litterae aut litterarum, aut ad res dissimiles similia verba accommodantur.' Neque praeter exspectationem mihi accidit, ut Velleium sane crebrum fuisse in omnibus his dictionis flosculis studiose appetendis cognoscerem.

Ac primum quidem ex infinita fere exemplorum copia pauca decerpere satis habeo eius annominationis generis, quo variis eiusdem verbi formis luditur: inopia *obsidentibus* quam *obsessis* erat gravior II 51, 2. his ipsis militum gladiis, quibus *obsessus* erat, *obsidentes* coercuit II 125, 4. quod adieci, non ut *arguerem*, sed ne *arguerer* II 53, 4.

Saepius deinde Velleius ea paronomasia delectatus esse videtur, quae in eorundem vel eiusdem etymi vocabulorum compositione vel oppositione cernitur: *rex regum* Agamemnon I 1, 2. *omnibus omnium* gentium viris II 36, 1. cl. II 83, 2. II 110, 6. *libertorum* suorum *libertus servorum*que *servus* II 73, 1. quo *salvo salvus* esse non poterat II 91, 3. cl. II 49, 3. legatus *eiusdem* ad *eundem* missus II 111, 4. inter *praecipuos praecipuis*que donis adornatos viros II 121, 3. — — gens etiam Germana *ferocitate ferocior* II 106, 2. animam *caelestem caelo* reddidit II 123, 2. urbem magis *invidia* imperii quam ullius eius temporis noxiae *invisam* Romano nomini I 12, 5. manere adhuc rudem Corinthiorum *intellectum* quam in tantum ea *intellegi* I 13, 5. consulatum . . . *iniit*, cuius *initio* II 23, 1 adeo enim dissimilis fuit Sulla bellator ac *victor*, ut, dum *vincit*, ae-

quissimo lenior, post *victoriam* audito fuerit crudelior II 25, 3. data enim facultate sine *rapto* vivendi *rapinis* arcuit II 32, 6. *regis* eorumque, quorum is auctoritate *regebatur* II 54, 1. homine . . . inter summam *vitiorum* dissimulationem *vitiosissimo* II 97, 1. quam tamen *comitata* mater Scribonia voluntaria exilii permansit *comes* II 100, 5. ut nec plus *sperari* potuerit nec *spei* responderi felicius II 103, 5. non enim *desertis* superfuit, sed *desertor* occidit II 119, 4.

His vero Straubium[1]) secutus figurae etymologicae quae dicitur exempla subiungam: comitem . . . *vectum vehiculo* II 59,3. corpus eius humanis *honoribus,* numen divinis *honoratum* II 124,3.

Nec dissimilis illius exornationis ratio est, qua verba originis eiusdem sed variata compositione et notione coniunguntur vel opponuntur: quam tergiversanter . . . pugnam *inierat,* tam fortiter in ea mortem *obierat* I 9,3. non segnius conata *obiit,* quam sceleris conandi consilia *inierat* II 35,5. coegit e Macedonia *profugere,* quam ille linquens in insulam Samothraciam *perfugit* I 9,4. si eas (tabulas) *perdidissent,* novas eos *reddituros* I 13,4. naturaliterque quod *procedere* non potest, *recedit* I 17,6. quod *assequi* non potest, *sequi* desinit I 17,7. *despicere* . . . *perspici* II 14,3. *dixerat* . . . *interdixit* II 24,2. Antonius se ipse non segniter *interemit,* adeo ut multa desidiae crimina morte *redimeret* II 87,1. Hispanias . . . cum imperio *obtineret,* in summa pace ac quiete *continuit* II 125,5. — *fugitivi* e ludo gladiatorio Capua *profugientes* II 30,5. omnem vim in *coercitione* ambitus *exercuit* II 47,3. — — intervalla *negotiorum otio* dispunxit I 13,3. cl. II 1,1. II 88, 2. II 98,3. II 105,2. quin hac *prudentia* illa *imprudentia*

1) De tropis et figuris quae inveniuntur in orationibus Demosth. et Cic. scr. Straub. Wirceb. 1883. (p. 137.)

decori publico fuerit convenientior I 13,5. *spes*que *desperatione* quaesita II 5,3. horum *fidem* Mytilenaeorum *perfidia* inluminavit II 18,3. *potentia* sua nunquam aut raro ad *impotentiam* usus II 29,3. *armati inermem* secuti sunt II 80,4. praematura *morte immortalem* nominis sui pensavit memoriam II 88,3.

Postremo ea ponamus quae, quamquam non eiusdem sunt stirpis neque idem valent, tamen similem quendam sonum referunt: *natione* magis quam *ratione* barbarus II 108,2. *situ obsitae* iustitia, aequitas etc. II 126,1. *aditis* quae vix *audita* erant II 5,1. *urbi orbi*que[1]) terrarum II 44,1. cl. II 100,1. *profunda confundendi* omnia cupiditate II 125,1. *fastigium,* per quod . . . *fastidire* posset II 15,2. *parendi* confessionem extorserat *parens* II 39,3.

Separandas putavi ab his alius generis festivitates, quarum natura ea est, ut verbo iterato notio diversa intellegenda sit altero loco: magna *vis* Graecae iuventutis abundantia *virium* etc. I 4,3. *quattuor filios sustulit,* omnis adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos, mortui eius lectum pro rostris *sustulerunt quattuor filii* I 11,6—7. neque ante (odium) invisum *esse* desinit quam *esse* desiit I 12,7. eiusque corpus velato *capite elatum* est, cuius opera super totum terrarum orbem Roma *extulerat caput* II 4,6. neuterque ab altero quod *arguebat* mentitus *argui* posset II 33,2. tot extra Italiam domique *opera* omne aevi sui spatium impensurum in id solum *opus* scriptorem fatigarent II 89,6. etenim absurdum erat, non esse sub illo, quae ab illo *vindicabantur,* et qui ad opem ferendam primus erat, ad *vindicandum* honorem non iudicari parem II 121,2. non

1) cf. Cic. Cat. IV 6,11: hanc *urbem,* lucem *orbis*terrarum. Nep. Attic. 20,5: principem non solum *urbis* Romae, sed *orbis*terrarum.

civium tantummodo, sed urbium damna principis munificentia *vindicat.* restitutae urbes Asiae, *vindicatae* ab iniuriis magistratuum provinciae II 126,4.

Iam vero omissis reliquis huiuscemodi singulorum verborum argutiis ad eam transeo orationis figuram quam nos vulgo 'allitterationem' appellare solemus. Etenim hoc orationis artificium non oratores modo sed scriptores etiam a poetis mutuatos in suum convertisse usum, nunc inter omnes fere abunde constat.[1]) Non igitur mirum, si Velleium, utpote qui nimium diligentiae contulerit ad sententias omni ratione condiendas acuendasque, allitterationis ornamentum et vim minime aspernatum esse suspicabar. Verum antea quam exemplis spem me non fefellisse demonstrem, breviter et in universum disputandum puto de limitibus, quibus allitterationis eiusque de scriptoris industria effectae agnitio circumscribatur. Quicunque enim de allitteratione sermonis latini disputaturus est, in ea haeret difficultate, quod nec in definitione huius consonantiae viri docti plane consentiunt nec normae utique certae constitui possunt diiudicandi, quibus locis allitteratio fortuita sit, quibus scriptoris consilio tribuenda.[2]) Equidem, ut tribus verbis quid hac de re iudicem complectar, Ebrardi sequor sententiam[3]), qui cum primus sescentis exemplis

1) Viros doctos, qui ad allitterationis romanae cognitionem promovendam plus minusve contulerunt, Julius Bintz enumeravit in commentatione Philol. (a. 1885) vol. 44 p. 262—278 inserta cui inscripsit: 'Beiträge zum Gebrauch der Allitt. bei den röm. Prosaikern.' His velim addas L. Buchholdum (De paromoeoseos (adlitterationis) apud veteres Romanorum poetas usu. Diss. Lips. 1883), C. Boetticherum (De allitterationis apud Romanos vi et usu. Diss. Berol. 1884.), Joh. Baskium (De allitterationis usu Plautino I. Diss. Regim. 1884.)

2) Cf. Boetticher l. l. p. 2.

3) W. Ebrard, die Allitt. in der lat. Spr Progr. Bayreuth 1882 p. 3—8.

allitterationem animadversam non modo in verbis lege syntactica inter se respondentibus, sed etiam in orationis partibus non coordinatis agnoscendam esse clare ac evidenter patefaceret, fines huius paromoeoseos in soluta oratione statuendae artius a Woelfflino[1]) contractos haud paullum propagavit.

Quod autem idem Woelfflino[2]) praeeunte sibi persuasit, in duabus vocibus eadem cum praepositione compositis allitterationem non accipiendam esse nisi si verba nativa quoque ab eadem littera inciperent (**impu**rus **impu**dicus), iusto severius videtur mihi iudicare; tametsi enim facile largior Woelfflino, sententiae vi saepe fieri, ut verba cum eadem praepositione composita coniungantur sine ulla scriptoris sagacitate, tamen prorsus non dubito, quin concentus ille solarum praepositionum ut auribus perceptus ita saepissime quaesitus sit. Neque ex minore vel maiore arte a scriptore adhibita meo quidem iudicio aestimandum erit singulis locis, utrum casum sumamus an consilium, sed eam iure meritoque quaesitam allitterationem agnoscendam puto, cuius vis aures nostras illi sermonis figurae minus assuetas et omnium omnino soni festivitatum multo minus quam Romanorum capaces[3]) captet percutiat delectet.

Leges vero, quas Andresenus Woelfflini commentationem iudicans de compositorum verborum allitteratione condidit,[4]) excepta prima ne speciem quidem veri

---

1) In opusculi 'Über die allitterierenden Verbindungen der lat. Spr.' (Sitzungsber. der philos. philol. u. hist. Classe der k. b. Akad. der Wiss. zu München, 1881. vol. II.) p. 7.

2) l. l. p. 5.

3) Cf. Friedl. Sittengesch. III^5 p. 359.

4) In Philol. Wochenschr. (a. 1881) I. p. 289 sic disputat vir doctus: 'Wir haben eine Allitteration als vom Schriftsteller empfunden und gewollt anzuerkennen: 1. Wenn auf dem Gegensatz der beiden mit derselben Präposition zusammengesetzten Worte die

ferunt. Ut enim omittam, quam non veri simile sit, veteres in orationis exornatione ab ipsis nec propria appellatione notata nec grammatica quadam observatione illustrata[1] minutas istiusmodi subtilitates consectatos esse, is allitterationis indolem parum perspectam videtur mihi habere, qui hoc dictonis artificium mentis, non aurium iudicio ponderandum esse arbitretur.

His praemissis reliquum est, ut exempla a me congesta proferam, quae ita disposita accipias, ut in primo ordine ingrediantur, quorum voces ex lege syntactica aptissime inter se congruant; deinde addentur ea, ex quibus haud raro scriptorem allitterationem in verbis, quae lege aliqua grammatica alterum ex altero pendent, appetivisse appareat. Praeterea autem in prioris classis particulis eum sequar ordinem, ut omnibus exemplis, in quibus alliteratio magis ornandae orationi quam sensui accuratius constituendo inservire videatur, in prima quasi acie positis ea in subsidio collocem, quibus Bintzio[2] praeeunte demonstrem, 'wie in ganz bestimmten grammatischen Construktionen die Allitteration sehr oft ein beliebtes und bewusstes Mittel der römischen Prosaiker gewesen, um die betonten Wörter noch

---

ganze Kraft des Gedankens beruht, wie Agr. 11: in **de**poscendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in **de**trectandis eadem formido. 2. Wenn in dem einen der beiden Glieder die ursprüngliche Bedeutung der Präposition nicht mehr deutlich gefühlt wird, wie H. I 52: **ad**imendis **ad**signandisque militiae ordinibus. 3. Wenn in dem Falle, dass zwei mit dem aufhebenden 'in' componierte Worte verbunden sind, ein Gegensatz dadurch entsteht, dass das eine einen positiven Begriff ergiebt, wie H. I 87: urbanae militiae impiger, bellorum insolens. 4. Wenn ein Wort, das mit der Praeposition 'in' zusammengesetzt ist, mit einem das aufhebende 'in' enthaltenden Worte verbunden ist. Hierher gehören die Verbindungen wie **in**vidus **in**imicus etc.

1) Bötticher l. c. p. 1.

2) L. l. p. 263. cf. quoque Boetticher l. c. p. 32 sq.

schärfer zu markieren.' Agmen denique claudent duplicis triplicisve allitterationis exempla.

Eas vero formulas, quibus Velleium veluti bono publico usum esse opiner,[1]) ut saepius lectorem ad Woelfflini Ebrardi aliorum commentationes revocare supersedeam, stellula* signabo.

I. Allitteratio in vocibus ex lege grammatica inter se respondentibus.

a) Substantiva.

***a**nimum atque **a**rma II 115, 1 et **a**rmis et **a**nimis II **119**, 2.
et **a**uctor et **a**dmirator I 13, 3.[2])
classi et **c**ustodiae maris II 72, 4.
conditorem **con**servatoremque II 60, 1.
domus tantum ac **dom**estici II 114, 2.
***f**ama **f**ortunaque II 99, 1.
fugae **f**ortunaeque I 72, 3.
luxuria **l**ibidineve II 100, 3.
*in **o**re atque **o**culis II 84, 2.
***pat**er et **pat**ria II 120, 2.
***pa**triaeque et **pa**rentum II 100, 5. I 7, 1.
veri **v**etustatisque II 23, 4.
***v**im ac **v**oluntatem II 109, 1. cl. II 68, 4.
***v**itam **v**eniamque II 85, 5.
vultu **v**itaque II 127, 4.

saepe derecta **a**cie, saepe **a**gminibus II 47, 1.
fugata **a**cies, fugatae **a**lae, **co**nversae **co**hortes II 112, 5.

---

1) Cf. Lochius in dissertat. Regim. a. 1865 'De usu allitt. ap. poetas lat.' p. 3. — Baskius l. l. p. 27.

2) Non enim assentior Baskio, qui l. l. p. 15 sq. contra Woelfflinum (p. 3) vocalem 'a' cum 'au' diphthongo allitterationem non facere nobis probare studet. Quamquam hac de re, cum ex uniuscuiusque sensu et existimatione pendeat iudicium, certa quaedam et definita lex vix unquam statui poterit.

quod ex nuru, quod ex nepote II 130, 4.
studiis rudis, sermone barbarus II 73, 1.
vir animi magis quam aevi paterni II 26, 1.
verecundia magis quam virtute II 55, 4.
non merito, sed materia II 116, 3.
*in vitam, non in voluptatem II 41, 2.
*vitiorum fratris sui consors, sed virtutum . . . expers II 74, 2. II 1, 1.
*in altero maior vis, in altero virtus II 72, 2.
cum alteri vis censoria, alteri vita deesset II 95, 3.
ut armis, ita auctoritate II 39, 3.
aut belli praeparatio aut infida pax I 12, 6.
neque fortitudine adversus Mithridatem neque fide in Romanos II 18, 3.[1])

b) Adiectiva et adverbia.

duplicis ac diversissimi animi II 25, 3.
hirtus atque horridus II 11, 1.
inaudito atque incognito ante mari II 106, 3.
incolumi inviolatoque exercitu II 107, 3.
incredibili atque inenarrabili pietate II 99, 2.
civibus infestissimus quietisque impatientissimus II 23, 1.
immensa illa et incondita multitudine II 14, 1.
immodica et intempestiva libertate II 68, 4.
gentis integras immunesque II 115, 2.
longo et perquam laborioso itinere II 113, 3.
liberaliter lauteque II 105, 2.
*magnas et memorabiles res II 33, 1.
*melior et maior II 3, 2.
et militaris et maritimae rei II 79, 2.
*mirabilius magnificentius II 52, 6.
multo mutuoque . . . sanguine II 90, 2.

1) 'Fortis fidelis' et 'fortis fidus' formulas tritas fuisse ex multis quae Wölffl. l. l. p. 58 congessit exemplis patet.

officiorum **patientem** ac **peritum** **pariter** II 105, 2.
perpetui **praecipuique** timoris II 130, 2.
pravus et **praeceps** II 18, 6.
provincias tam **diffusas**, tam **frequentis**, tam **feras** II 90, 4.
*felix eventu, forte conatu II 112, 1.
corpore **excellens**, dignitate... **eminens** II 107, 1.
iuventus **infinita** numero, **immensa** corporibus II 106, 1.
difficultatibus ..., quas inopia rerum **intolerabilis**, vis hostium faciebat **inexsuperabilis** II 120, 4.
praesentia invidia, **praeterita** veneratione **prosequimur** II 92, 5.
una **urbs** Attica pluribus auctoribus eloquentiae quam **universa** Graecia ... floruit I 18, 1.
ut nec laudaturum **magna** nec vituperaturum **mediocris** **materia** deficiat II 101, 1.

c. Verba.

*innumerabilibus **caesis** et **captis** hostium milibus[1]) II 46, 1. cl. II 12, 5. II 47, 1.
quae omnia senatus decretis **comprensa** et **comprobata** sunt II 62, 4.
elucet atque **eminet** II, 122, 1.
***fudit** ac **fugavit** II 32, 4. **fudit** **fugavitque** II 112, 2. II 12, 2. I 9, 4. II 37, 2. **fugaret** ac **funderet** II 46, 4.
inescandae **inliciendaeque** multitudinis II 13, 2.
pervenit ad mare et ... **pervecta** est II 75, 3.
sepultae ac situ **obsitae** II 126, 2.
sopiit ac **sustulit** II 125, 3.
et **vincendi** et **vivendi** II 27, 5.

nihil voto **concipi**, nihil felicitate **consummari** II 89, 2.
nihil **relictum** a Caesare ..., nihil **receptum** a Pompeianis II 49, 3.

1) cf. Wölffl. l. c. p. 23.

protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam II 92, 2.
Varum ... magis imperatoris **d**efectum consilio quam virtute **d**estitutum militum II 120, 5.
hoc est nimirum magis feliciter de vita **m**igrare quam **m**ori I 11, 7.
citiusque Caesar ... **p**romisit, quam illis, ut eam precarentur, **p**ersuasum est II 85, 5.
iam pridem **d**ebitum, sed continuatione bellorum **d**ilatum ... egit triumphum II 121, 2.
iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant **ad**sentabatur, iis, qui ab ipso quoque, **ad**versabatur, II 48, 1.
illis diligentior ritus patrii **m**ansit custodia, Cumanos Osca **m**utavit vicinia I 4, 2.
quorum alterum promittendo consulatum non **o**bligaverat, contra differendo Cassium **o**ffenderat II 56, 3.
cum saepe **re**quiro, nunquam **re**perio I 17, 5.
aut **in**cussa voluntas aut **im**posita necessitas II 126, 2
aut quid non impetrando **p**assuri fuissemus aut quid impetrando **p**rofecissemus II 125, 1.

Vix erit aptior locus enumerandis hisce aliquot exemplis, quae quamquam allitterationem in vocibus ex legibus grammaticis non inter se congruentibus praebent, tamen perspicua de causa huic priori potius quam posteriori exemplorum parti subiungenda putavi:
cuius **in**tegritatem laudari nefas est, **in**solentia paene argui potest II 45, 5.
cum Anicii Octaviique triumphum nemo **in**terpellaret, fuere qui Pauli **im**pedire obniterentur I 9, 6.
Antonius fugam suam, quia **v**ivus exierat, **v**ictoriam **v**ocabat II 82, 3.
quidquid enim unquam **c**laritudine eminuit, id veluti **c**ognatum **c**enset tuendum II 130, 1.

quidquid liberet, pro licito vindicans[1]) II 100, 3.
spem magis ostenderat auxilii quam opem ferebat II 74, 3.[2])
cum libentius vitam victor iam daret quam victi acciperent II 52, 6.
quid, non in quantum admissum foret, aestimabant II 8, 1.
nihil . . . aut videre maius aut mirari magis potui II 115, 5.

II. Allitteratio in vocibus non coordinatis.

Quae sequuntur exempla eodem ordine componam et separabo atque Ebrardus, qui — id quod obiter commemoro — Velleium plane neglexit.

a. Allitteratio in nominibus.

Ebrard. p. 9—18.

adfinitas artissima II 100, 4.
confessio certa II 39, 3. II 90, 1.
libertas longissima II 38, 6.
magnitudo modica II 84, 1.
*manus magna I 3, 1.
metus muliebris II 87, 1.
modus magnus II 73, 3.
*moles maxima II 121, 1.
*molimentum magnum II 78, 1.
*mortales multi II 42, 2.[3])
munus magnificentissimum II 93, 1.
novitas nobilissima II 34, 3. cl. II 96, 1.
*omina auspicata II 79, 2.[4])
patronus perpetuus II 120, 1.
periculum praeceps II 84, 2. p. praesens II 72, 5.
pugna perniciosa I 9, 3.

1) Cf. Plaut. Trin. 1032: Nam nunc homines nihili faciunt quod licet nisi quod lubet.

2) Cf. Woelffl. l. c. p. 3. 21.

3) Naev. b. Poen. III. (VIII c. L. Mueller). Cic. div. Caec. 2, 5. Sall. Cat. 2, 8.

4) Cf. Woelffl. p. 21.

quies quanta II 130, 2.
socordia summa II 118,1.
successores serissimos II 131, 2.
sudor summus II 128,3.

Ebrard. p. 18 sqq.

acies animi II 118,4.
*arbitria armorum II 50,3.
ardor animi II 118, 2.
caedesque civium II 47, 3.
celsitudo corporis II 94, 2.
compages corporis II 127, 3.
concursus civitatis II 103, 4.
dies discriminis II 85, 1.
merces mortis II 28,3
*mos maiorum I 10,4
munus misericordiae II 52,6.
patientia periculorum II 41,1. II 78,3.
*pater patriae II 123, 1.
tractus temporum I 6,4. I 7,2. I 15,3. II 9,1. II 10,2. II 78,1. II 94, 1.[1]

Ebrard. p. 20 sq.

quando fortuna non mutat fidem? II 53, 2.
factum eius fortuna ulta est II 119, 4.
sequebatur invidia inertiam II 42, 3.

Ebrard. p. 21.

viri quamquam diversis virtutibus celebres II 116, 2. cl. I 12,3. II 105, 2.
voto finiendum volumen est II 131,1.

Ebrard. p. 22.

cuius felicitatem fortunae Metelli compares I 11,6.
ut manum morituro commodaret sibi II 70, 4.
vitae suae vim intulit II 45,5.

---

1) Si non eadem notione at consimili allitteratione nos dicere solemus 'der Zug der Zeit'.

Ebrard p. 22 sq.

casus in **c**ulpam transeat II 118,4.
dum clementiam, quam praestiterat, exspectat, **in**cautus ab **in**gratis occupatus est II 57,1.

b. Allitteratio verbi cum proximis nominibus vel cum adverbio suo.

Ebrard. p. 23 sq.

cavente **C**icerone **c**oncordiae II 48,5.
dum rei publicae **con**staret **con**cordia II 62, 3.
florere **f**ortunam II 11, 3.
poterat **p**ax **p**lacere II 25, 1.
studium cum **s**pe **s**enescit I 17,7.
vivos ab eo **vi**ndicatos (sc. esse) II 120,3.

Ebrard. p. 26 sq.

avi sui **a**nimum **a**lienavit sibi II 112,7.
aegritudinem **a**uxit **a**missa mater II 130, 5.
colonias **co**ndere I 15, 1. 4. (I 3, 3. II 7,8.)
ut . . . **con**sortionem Neroni **con**stitueret II 103, 3
consilia **co**rrumpit II 57, 3. II 118, 4.
***di**em **di**xerat II 24, 2.
moriturum **m**iserat **m**ilitem II 5, 3.
novitatem suam multis rebus **no**bilitaverat II 96,1. cl. II 34, 3.
***p**oenas **p**ependere II 100, 5.
visuque **pr**aetulerat **pr**incipem II 94,2.
***r**eddere **r**ationem I 3,2. II 50,2.
***re**ddere **re**sponsum I 10, 2.
rem populi Romani **re**stituentibus II 16, 4.
***su**mere **su**pplicium II 42, 3.
victoriam **vi**ndicaverunt II 112, 6.

Ebrard. p. 32 sqq.

***a**gitare **a**nimo I 16,1.
alere **a**dsentatione II 102,3. II 82, 4.
consultis facta **con**iungens II 79, 1.

exuere exercitu II 12,2.
florere favore II 92,4.
*mandare memoriae I 15, 5. II 8, 1. II 112,1.
*multare morte II 12,6.[1])
pellere proelio II 24, 1.
respondere spei II 103, 5.
signare stilo I 16, 1.
se vindicare virtute I 1, 3.
Ebrard. p. 35.
ultra feminam fluens II 88, 2.
Ebrard. p. 35 sqq.
feliciter fungi II 95, 2.
libentius laudare II 92, 5.
*male mulcare II 70, 1.
Ebrard. p. 40.
urbes . . . studiorum fuere steriles I 18, 3.

Exempla duplicis triplicisve allitterationis.

a a b b

vires autem veteres... magnitudo ostentat moenium I 4, 2.
tabula testatur aerea intra aedem II 25, 4.
paupertatem pateretur dignitate destitui II 129, 3,
praetor qui classi praeerat, pervenit et . . . persuasit I 9, 4. (?)

a b b a

opportuna visa est victoriae occasio II 115, 5.
exturbavit et lege lata exules fecit II 19, 1.
cogitationem regiam Romana disiecit constantia I 10, 2.
adiutus legionibus Latinis avi I 8, 5.
mollitiis fluentem et nimium felicem malo suo I 6, 2.

a b a b

nomine Thessalus, natione Thesprotius I 3, 1.
excisis agris, exustis aedificiis II 115, 2.

1) Cic. Cat. I 11, 28. 12, 29 saepius.

ut **minoribus perceptis maiora permitteret** II 13, 2.
virtute constantia vigilia curaque II 34, 3.
rediit . . . **sacris honos, securitas hominibus** II 89, 4.
civitatis severitas et **consul Scipio** I 15, 3.
et **publicam civitatis** et **privatam civium** (salutem) II 66, 2.
praefecto castrorum **praefect**isque cohortium II, 112, 6.
vel **ferocia ingenii** vel inscitia nostrorum ducum vel **fortunae indulgentia** II 1, 4.
neque post Numidici **exilium** aut **reditum** quisquam aut **ex**pulsus invidiosius aut **re**ceptus est laetius II 45, 3.

Unum tantummodo exemplum triplicis allitterationis inveni:

vel **magnitudine** regis **Persei** vel **specie simulacrorum** vel **modo pecuniae** I 9, 6.

Quamquam fortasse non deerunt, qui nimiam copiam locorum a me allatorum reprehendant, tamen facere non possum quin ad extremum afferam aliquot exempla obiter notata eius allitterationis speciei, quae cernitur, si tria vel quattuor verba se sequentia eadem littera in initiis posita coniunguntur:

adhuc admodum adulescens II 35, 3.
cornu . . . **castra Caesaris cepit** II 70, 1.
alienis armis ad arma compulsus II 50, 2.
adversus amicos aequa ac par sui **aestimatio** II 97, 3.
a dispositis **in id** ipsum **interemptus** est II 27, 4.
primo pro Pompei partibus . . . stetit II 48, 4.

Non habeo in animo, singulos locos defensitare; immo sine ulla dubitatione do, hanc illamve allitterationem scriptori imprudenti vel neglegenti excidisse. Verum tamen ex hoc exemplorum conspectu, licet mittas hoc aut illud, liquido patere concedes, Velleium allitterationis efficacitate perspecta et cognita saepenumero haud inscientem hoc orationis condimento

cum ad exornandam dictionem, tum ut acutius proferret sententiam, usum esse.

Cum autem alii illius aetatis scriptores, quantum scio, de allitterationis usu accurate adhuc non perlustrati sint, illud unum comparatione diligenter facta statuere necesse est satis habeam, Velleium historicum pro tenuitate opusculi sui allitterationem non minus crebro usurpasse quam Ciceronem oratorem.[1]) Non enim dubito, quin in praeproperae festinationis reprehensionem inciderem, si hic Velleiani generis dicendi proprietatem investigasse et comprehendisse mihi viderer.

Haec fere habui, quae de universo orationis Velleianae colore dicerem. Nunc venio ad sigula.

I. Pars etymologica.

Ad rem ipsam aggrediens ea mihi videor premi difficultate quod certo scio, haud magni plerosque iudicaturos esse quaestionem etymologicam in scriptore, cuius opus uno tantum codice eoque depravatissimo et omnibus scatente vitiis ad nos pervenerit. Verum tamen postquam quaestione ad finem adducta aliquantulum me praestitisse ad diligentissimum illud Neuei[2]) opus suppplendum intellexi, cum Quintiliano[3]) 'nihil in studiis parvum'esse ratus, quae ad declinationem, comparationem, coniugationem pertinerent, a me ipso collecta in lucem proferre ausus sum.

Eas igitur formas, in quibus afferendis Neue Velleium laudare omisit, hoc signo^{0}, quas vero prorsus neglexit, eodem signo geminato putavi notandas.

---

1) cf. Straub. l. l. p. 131 sqq. — J. Theobaldi 'de annominationis et allitterationis apud Cic. usu' dissertationem (Bonn. 1852) in rem meam convertere non potui.

2) F Neue, Formenl. der lat. Spr. Berl. I² 1877. II² 1875.

3) Quint. X 3, 31.

A. De declinatione.

I. Prima declinatio.

De Latinorum ratione nomina graeca primae declinationis per casus ducendi disserit Neue I² p. 31—64 et primum de masculinis in **-as** et **-es** exeuntibus. Ac vetustioribus quidem mos erat, ut interdum quidem in **-as**, frequentius in **-a** graeca nomina vellent terminari. 'Recentiores autem', ut auctor est Quintil. I 5, 61. 'instituerunt graecis nominibus graecas declinationes potius dare.' Sed invaluit vetus consuetudo ita, ut servorum nomina et libertinorum cognomenta, quippe quae ipsis, priusquam manu mitterentur, nomina fuerant, si graece in *-ας* caderent, latinam plerumque terminationem recto casu caperent.[1]) Cuius usus unum apud Velleium inveni exemplum, quod est °*Mena* II 77, 3;[2]) (habes accus. *Menam* II 73, 3).

Nomina propria masculina in *-ης* terminantia licet maxima ex parte apud Latinos tertii in declinando ordinis fiant (velut apud Nostrum leguntur genetivi *Hippotis* I 3,3. I 13,1. *Miltiadis* I 8,6. *Orestis* I 1,4. I 2,4), tamen in accusativo casu saepenumero graecam primae declinationis in *-ην* terminationem servant.[3]) Cuius accusativi testimonia apud Velleium obvia infra invenies p. 33. Duos qui exstant huiuscemodi nominum ablativos in **-e** formatos: *Alete* I 13, 1 *Anchise* II 41, 1, cum in soluta oratione occurrant, ut primae ita tertiae declinationi adscribere possis.

Neque in femininis graecis nominibus declinandis quidquam ex latina ratione mutari maluisse vetustiores illos graecasque eorum nominum formas auctoritate potis-

1) Cf. Bentleius, qui in epist. ad Mill. (Bentley's Works ed. by Alex. Dyce, Lond. 1836 vol. II. p. 342 sqq.) copiose de his nominibus disputavit.

2) Mena (Μηνᾶς) libertus Pompeianus.

3) Zumpt. gr. lat.[13] § 46,3. § 71. — Neue I² p. 308 sqq.

simum poetarum aevi Augustei increbruisse Neue exemplis copiose allatis[1]) demonstrat. Itaque nomina propria feminina graeca formatione apud Velleium leguntur haec:

^{0}*Ephyre* I 3,3. ^{00}*Hermiones* I 1,3.[2]) ^{00}*Cymen* I 4,4 *Mytilenen* I 4,4. (*Mytilenem* P. — cf. II 53,2: *a Mytilenis,* qua de forma cf. Neue I^2 p. 397.) ^{0}*Prienen* I 4,3.[3]) — Contra habes latinas formas: ^{0}*Helenae* I 1,3. ^{0}*Ephyram* I 1,1.

2. Secunda declinatio.

Nomina graeca in-ϱος desinentia, antecedente alia in eadem syllaba consonante, apud Latinos per **-er** efferuntur[4].) Perraro ab hac consuetudine aberratum est, velut apud Nostrum legimus *Menandrus* I 16,3.[5])

Deinde ad vocabulorum in **-ius** et **-ium** exeuntium genitivi sing. formam quod attinet, Velleio in **-i** formationem vindicare praeeunte Kritzio[6]) non dubito, magis vero ductus iis, quae uberius et universe de huius genetivi terminatione disseruerunt Lachmannus[7]) Ritschelius[8]) Brambachius[9]) quam — ut Kritzius — unius codicis auctoritate; nam quinquaginta fere huiuscemodi genetivis,

1) Neue I^2 p. 41 sq.

2) Neue *Hermionae* et *Hermionetis* tantummodo genetivos commemorat I^2 p. 60. 64.

3) F. Haasius in 43. adnot. ad Reisigii schol. lat. (denuo ed. H. Hagen, vol. I. Berl. 1881 p. 89) re non accuratius inspecta *Prienen* accusativum ex Ruhnkenii correctione legi affirmat.

4) Neue I^2 p. 77 sq.

5) *Menander* A., quod ab Amerbachio ad vulgarem formam correctum esse recte iudicat ad h. l. Orellius.

6) Proleg. p. CXXII.

7) Ad. Lucr. V 1006 p. 326 sqq.

8) In dissertatione, cui inscripsit 'Die tesserae gladiatoriae der Römer (Abhandl. der philos. philol. Cl. der Acad. der Wiss. zu München X 338 sqq.).

9) Orthogr. lat. p. 188 sq.

quos vir doctissimus ex codice contulit, ter paene eundem numerum genetivorum **i** geminantium possum opponere,[1]) qua opera ut inutili supersedeo.

Unum quod inveni adiectivum breviore illa genetivi inflexione elatum °*Grai (nominis)* I 6, 3 plerique omnes inde a Gelenio merito[2]) ad usitatam formam mutavere; in Halmii autem editionem haud scio an operarum errore irrepserit. Is enim neque codicis auctoritati quidquam tribuens neque certam normam scribendi secutus ad arbitrium ut eorum tertiae declinationis nominum, quae plurali genetivo in **-ium** clauduntur, accusativos plur. modo in **-is** modo in **-es** exire, ita genetivos illos secundae declinationis nunc in **-i** nunc in **-ii** terminari voluit.

Genetivi pluralis contractam formam, ut omittam tritissima illa exempla *fabrum, sestertium*, legimus II 12, 4: °°*Teutonum*. Equidem enim quin secundae declinationi haec forma adscribenda sit, omnino non dubito. Immo fatear necesse est me nescire, cur plerique grammatici et lexicographi nomen de quo agitur in heteroclitorum numerum referentes *Teutonum* genetivum tertiae esse declinationis doceant. Nam primum iam ante Neuei copiosissimam exemplorum collectionem[3]) abunde constabat, populorum nomina maxime peregrinorum, quae sunt secundae declinationis, saepenumero genetivi pluralis breviorem in -um formationem exhibere.[4]) Deinde autem ut alii huiusce nominis casus tertiae declinationis inflexionibus elati ante Flori rerum scriptoris

1) Parum igitur circumspecte Haasius iudicare videtur in adnot. 54, cum dicat: 'Bei V. P. führt die freilich schwache Autorität der einen Handschrift mehr auf **i** als auf **ii**.'

2) Neue II² p. 24 sqq. Lachm. ad Lucr. V 1006 p. 327.

3) Neue I² 114 sq., ubi tamen *Teutonum* genetivum omissum esse miror.

4) Zumpt.¹³ § 51. C. L. Schneideri gramm. lat. II 1, 70 sq.

aetatem non occurrunt, ita loci huc referendi non ii sunt de quibus dubitari nequeat. Jahnius quidem in ed. sua *Teutonas* accusativum, qui in antiquissimis et optimis Flori codicibus Bambergensi et Nazariano III 3, 7 = 60, 26. J. legitur, in *Teutonos* mutavit, ubi dubito an genuinam restituerit lectionem.[1]) Nam ut nihil de reliquorum codicum auctoritate dicam, qui vulgarem formam exhibent, habes apud eundem scriptorem III 3, 1 = 60, 8. J. nominativum *Teutoni* et paullo post III 3, 11 = 61, 10 J. *Teutonis* ablativum, quorum hic apud Nostrum exstat II 12, 2 et 4, ille II 8, 3. Neque ei, qui illam Jahnii mutationem correctionem esse persuadere sibi poterit, reliqui loci huc pertinentes et quos hic enumerare liceat: Eutrop. V 1, 1: *Teutonibus* V 1, 3: *Teutonas* V 2, 1: *Teutones* — Oros. V 16, 1: *Teutonas* V 16, 9 et 14: *Teutones* — Aurel. Vict. vir. ill. c. 67. § 2: *Teutonas* — Ampel. 18, 15 = 17, 17. Woelffl: *Teutonibus* 47, 4 = 30, 25 W. *Teutones* — permagni momenti esse videbuntur. Scriptores enim modo commemoratos Floro usos esse si non constat at veri est simile.[2]) Tertiae declinationis forma praeterea invenitur Amm. XXXI 5, 12. Sine exemplo autem dixit Jord. Rom. 241. (rec. Momms.) *Teutonios.*

Proxime igitur puto ad verum accessurum esse eum qui coniciat, inferioris aetatis scriptores contracta illa genetivi pluralis forma male intellecta licentius novum nomen *Teutones* finxisse.

3. Tertia declinatio.

Nominum tertiae declinationis in **-or** desinentium, quae priscae latinitatis temporibus aliqua ex parte in **-os** cecidisse constat, nonnulla veterem in **-os** termina-

1) Cf. tamen Halm. in praef. ad Flor. p. VIII (27, 4).

2) cf. Jahnius in praef. ad Flor. p. XLVIII. Teuffel.[4] Röm. Litt. § 414, 4. § 359, 1.

tionem retinuerunt;[1]) paucissimis exceptis locis semper in Ciceronis Livii aliorum libris legitur *honos*, quae forma apud Velleium exstat °II 37, 5. °II 89, 4. Contra *honor* invenitur II 61, 3. II 122, 2. II 126, 4.

Quae apud Velleium accusativi sing. in **-im** formati[2]) inveniuntur exempla haec sunt: *Albim* II 106, 2. °*Tiberim* II 45, 5. *Neapolim* I 4, 2. °°*Rhascupolim* II 129, 1.

De ablativi sing. in **-i** et **-e** terminatione disputat Neue I² p. 212—245. Ad Nostri usum illustrandum haec afferenda videntur: *Albi* II 106, 3. °*Neapoli* II 76, 1. °*civi*[3]) I 31, 1. *classi* II 79, 2. (*classe* ibid.) °*continenti*[4]) (insula . . . perexiguo a *continenti* divisa freto) I 2, 4. *fusti* II 78, 3. °*navi* II 77, 1. *igni* (aqua *igni*que) II 24, 2. II 69, 5. (aqua et *igni*) II 45, 1. (*igni* ferroque) II 110, 6. (inlato igni) II 22, 4. (subiecto *igni*) II 74, 4. (vivo *igni* devorato) II 88, 3. (munera absumpta *igni*) II 130, 1. — °*igne* (*igne* emicans incendium) II 125, 4. °*Octobri* II 56, 3. °*orbi*[5]) I 12, 7.

Quod vero habes II 91, 4: *carceri* (abditus) nec sexto casu accipiendum esse neque Kritzii exemplo mutandum iam satis constat.[6])

1) Neue I² 167 sqq.

2) Neue I² p. 196—212.

3) *maior civi* ex Heinsii coniectura, *maiore vi* A P. F. Haasius (in ed. sua) codicis vestigia neglegens scripsit hoc loco *cive*, immerito ut videtur; nam non esse, cur in ablativo *civi* offendas, ex multis quos Neue I² p. 219. attulit locis apparet.

4) Neue II² p. 55.

5) *orbi* A *orbe* P. Quamobrem Kritzius hoc loco formam usitatiorem (Neue I² p. 222) praetulerit, quippe qui ipse in Proleg. p. CXXI apographo Amerbachiano in eius modi quaestionibus maiorem quam Editioni principi habendam esse fidem demonstraverit, non video.

6) Draeger. hist. Synt. I² p. 427. (§ 188.) — Schroeter in dissert. Jen. a. 1873. 'Der Dativ zur Bezeichng. der Richtg. in der lat. Dichterspr.' p. 7.

Huic loco liceat inserere ablativum participii praesentis temporis insolenter formatum, quem legimus II 19, 3: 'magno eiulatu *exprimenti*[1]) indignationem'. Sed plerique omnes vulgarem formam reposuerunt, merito, ut videntur; nam cum perpetua Vellei consuetudo participiorum praesentis temporis sextum casum in **-e** terminat, tum hoc genere corruptelae nihil frequentius est in Vellei cod.[2])

Vulgarem usum non secutus nominum in **-tas** exeuntium hos Velleius formavit genetivos pluralis:[3]) *aetatium* II 89, 1. *civitatium* II 42, 2. (Nullum nisi hunc huius vocis pluralem genetivum in Livii libris exstare docet Zumptius[13] § 66.)

De eorum quae in **-ium** plurali genetivo clauduntur vocabulorum accusativi pluralis in **-is** vel in **-es** terminatione non habeo quod dicam; immo quae Kritzius obsoletiorem Nostro accusativi formam vindicans disputavit[4]) recte se habere mihi persuasi.[5])

Huius modi cascas terminationes ut II 37,1: *vireis* (A P) et II 111,4: *furenteis* recentiorum Vellei editorum solus Orellius recepit, qui, ut ipsum codicem Murbacensem, quoad eius fieri posset, restitueret, in singulis vocibus eam scribendi rationem, quae erat in Amerbachii exemplo, retinuit.[6])

Iam vero videamus, quas Velleius nominum propriorum sive graecorum sive barbarorum protulit formas quae et quales sint.

---

1) *exprimenti* A *expromenti* MP *expromens* Halm.

2) Saepissime **e** et **i** confundi Kritzius in Proleg. p. LXXXIX plurimis exemplis docuit.

3) Neue I² p. 268.

4) Proleg. p. CXX sqq.

5) Neue I² p. 245 sqq. Brambach. in orthogr. lat. p. 149—158.

6) Cf. Orellius in praef. p. XIV.

Masculina graeca nomina in *ων* exeuntia poetae vetustiores et Cicero ingenio et consuetudine linguae vernaculae ducti ablata **n** littera proferre solent; e contrario recentiores graecam latinae praeferunt formam.[1]) Itaque apud Nostrum inveniuntur: ^{0}*Agamemnon* I 1, 2 (Cicero quotiens latina totiens graeca huius nominis usus est forma). ^{0}*Alcmaeon* I 8, 3 (apud Cic. semper legitur *Alcmaeo*). ^{0}*Cimon* I 8, 6. ^{0}*Creon*[2]) I 8, 3. — Contra reperitur *Philemo* I 16, 3.

Genetivum *Cotys* (*Cotys* P *Cotyss* A) II 129, 1 omnes editores Heinsio praeeunte perperam correxerunt, ita ut hodie in textu qui dicitur legatur *Cotyis*. Codicem autem legitimam eoque minime sollicitandam genetivi formam exhibere, iam qui recens Nostrum in lucem ediderunt Haasio et Halmio ex huiusce genetivi testimoniis, quae Neue[3]) congessit, videre licuit.

Neque recedens a consuetudine sua Velleius poetarum et argenteae quae vocatur aetatis scriptorum more[4]) graecos plerumque servavit accusativos, quos hic enumerare liceat: *Alcmana* I 18, 3. *Babylona* I 6, 2. *Chalcida* I 4, 1 (Livius semper scripsit *Chalcidem*[5]). *Colophona* I 4, 3. *Salamina* I 1,1. — *Dido* I 6, 4. — ^{0}*Artavasden* II 82,3. ^{0}*Euphraten* II 46,4. ^{0}*Euripiden* I 16,3. *Menecraten* II 73, 3. ^{0}*Mithridaten* [II 24, 1. II 33, 1][6]) II 37, 1. ^{00}*Segesten* II 118,4. ^{0}*Sophoclen* I 16,3. [^{0}*Tigranen* II 33,1.] ^{0}*Xerxen* II 33, 4.

Longe rarius latina forma servata est: ^{0}*Charopem*

1) Neue I^2 p. 161.
2) Neue I^2 p. 150.
3) I^2 p. 300.
4) Neue I^2 p. 301 sqq. 308 sqq. Zumpt.^{13} § 71.
5) Neue I^2 p. 212.
6) Locis quos inclusi uncis, apographum Amerbachianum latinam in -em formam exhibet.

I 2, 3. ^{0}*Myuntem*[1]) I 4, 3. ^{0}*Isocratem* I 16, 5. ^{0}*Mithridatem* II 18, 3. II 23, 6. ^{0}*Tigranem* II 37, 2.

Silentio puto non praetereundas esse has nominum formas: *Eupolide* I 16, 3. (Cicero nil moratus hoc nomen graece genetivo syllaba crescere *Eupoli* ablativum formavit.[2]) *Semiramide* I 6,2.

Restat hoc loco, ut exemplis demonstrem, quomodo Velleius Persae Macedonum regis nomen, in quo flectendo vix ullum scriptorem sibi constitisse notum est,[3]) per casus duxerit. Habes genetivum *Persei* I 9,6. Accusativus duplici terminatione variatur: *Persen* I 11,1. *Persam*[4]) I 9,4.

4. Declinatio irregularis quae vocatur.

(Abundantia. Heteroclita. Defectiva.)

Exstat apud Velleium genetivus ^{0}*plebei* II 111, 3 (tribunus plebei); dativus ^{0}*plebei* legitur II 44, 4 (ut ager Campanus plebei divideretur), formae minus usitatae a vetustiore huius vocis nominativo *plebes* derivatae.[5]) Neglecto Ciceronis exemplo, qui semper *ioca* dixit, Noster poetarum potius auctoritatem secutus[6]) masculini generis protulit accusativum plur. *iocos* II 67,4.

Perpauci scriptores ex certa lege atque norma pro significatione diversa genus variantes nunc *locos* nunc *loca* scripserunt; quantopere apud plerosque usus fluc-

1) De Myunta accusativo cf. Neue I² p. 306.

2) Neue I² p. 227.

3) Neue I² p. 337 sqq.

4) Alterum insolentioris huius formae exemplum nisi in plerisque Val. Max. (I, 8, 1) codd. non inveniri docet C. L. Schneider in gramm. lat. II 1, p. 320. (Neue I² p. 339.) Sed ex Paridis epitoma, quae *Persam* servavit, haud scio an recte editores formam usitatiorem in contextum receperint; vid. quoque Kempfium ad Val. Max. I 5, 3.

5) Schneider II 1, p. 359.

6) Neue I² p. 544.

tuaverit, ex infinitis fere quae Neue enumeravit[1]) exemplis patet. Velleius, quamquam nisi proprio sensu hoc vocabulo non usus est, tam recedens a Ciceronis consuetudine quam ad Sallustii accedens usum[2]) numerum pluralem masculini generis praeposuit. Habes °*locos* I 4, 4. II 116, 1. II 107, 3 (locorumque *quos* adierat). II 108, 2 (occupatis igitur *quos* praediximus locis). — contra *loca* II 32, 3. °II 70, 1.

Ut iam veteres grammatici de substantivi *dies* genere disserentes minime inter se consentiunt, ita quae in huius aetatis libris ad grammaticam rationem pertinentibus[3]) traduntur praecepta omnino non universe valent.[4]) Nostrum autem in genere variando significationis non admodum rationem habuisse, ex his maxime locis apparere videtur: adoptatus *eadem die* etiam M. Agrippa II 104, 1. qui *eodem die quo* Tiberius adoptatus erat II 112, 7. — *uno die* triumphaverunt II 8, 2. *una die* conflixerant II 21, 1. — *postero die* II 12, 4. *postera die* II 27, 3. Quod reliquum est *dies* masculini generis est II 6, 6. II 27, 2 (bis). II 27, 6. II 29, 2. II 35, 1 II 52, 3. II 85, 1. II 86, 1. II 103, 4. (*ille* sc. dies) II 107, 2. II 111, 1. — contra feminini: II 18, 2. II 42, 2. II 57, 2. II 72, 1.[5])

---

1) I² p. 541 sqq.

2) Cf. Kritzium ad Sall. Iug. 76, 1.

3) Hoc etiam ad Reisigii schol. lat. spectat, qui ea in re nimium veterum grammaticorum auctoritati tribuere videtur (cf. I p. 211 sq.).

4) Copiosissime et diligentissime, sed Velleio prorsus neglecto, de huius vocis genere disputat Neue I² p. 681—688.

5) Liceat hic obiter hanc Fritschii (l. l. p. 9) commemorare explicationem: 'In Zeitbestimmungen mit ante, post, intra kommt nur das Masculinum vor, post paucos dies u. s. w.' Ut in exemplo allato ita in omnibus quae quidem apud Vell. exstant eiusmodi temporum descriptionibus *dies* nisi plur. numeri non occurrit. In plu-

Neque omittendum esse puto locum qui est II 107,2: 'lintre adpulso'; nam masculini generis *linter* remoto de quo agitur testimonio nusquam nisi apud Tib. II 5,34 legitur.[1]

Saepenumero scriptores terrarum nomina — videlicet ut universam terram omnesque eius regiones complecterentur — pluraliter extulerunt,[2] velut apud Velleium exstant *Galliae* °II 12, 2. °II 39, 1. II 44, 5. °II 47, 2. °II 97, 1. °II 120, 1. II 121, 1. °II 129, 3. — *Hispaniae* °II 30, 2. °II 48, 1. °II 50, 2. °II 90, 1. °II 102, 3. °II 125, 5. Ceterum ex quolibet indice Vellei libris adiecto videmus, eum hoc nomen undevicies, illud quinquies singulariter pronuntiasse. Omnibus autem locis spectatis Velleium non usque quaque certo iudicio variasse numerum facile cognosces.

Substantivorum materialium quae vocantur in plurali numero positorum[3] haec inveni exempla: *aquae* °I 15, 4 (apud *aquas* quae ab eo Sextiae appellantur). II 25, 4 (*aquas* salubritate medendisque corporibus nobiles . . . addixit deae). *hederae* II 82, 4 (redimitus *hederis*). *ignes* °II 131, 1 (perpetuorumque custos Vesta *ignium*). *pecuniae* II 62, 3.[4]

Poetarum et Livii auctoritate usus Velleius contra firmam Ciceronis consuetudinem,[5] qui semper scripsit *cervices,* singularem huius vocis formam multo praetulit plurali. Nam cum haec semel II 131, 2, ubi de pluribus dicitur (quorum *cervices* . . . sustinendo terrarum

---

rali vero substantivum *dies* semper masculini generis inveniri nemo nescit. Mirum profecto, hoc viro docto non succurrisse.

1) Neue I^2 p. 657.

2) Neue I^2 p. 395 sqq.

3) Neue I^2 p. 398 sqq. Draeger I^2 p. 5 sqq.

4) Cf. Draeger I^2 p. 7.

5) Neue I^2 p. 449 sq. Haasii adnot. 154 ad Reis.

orbis imperio sufficiant), inveniatur, illa his occurrit locis: °II 4, 5. °II 6, 6. °II 69, 2. °II 70, 2. Hoc unum liceat adiungere, ad Velleianum usum id quoque pertinere, quod Fabri ad Liv. XXII 51, 7 adnotavit, eum *cervicem* dicere omnibus fere locis, quibus propria exstet significatione, translate vero plurali forma nusquam non uti.

Nomina abstracta quae dicuntur principio singularia tantum fuisse qui coniciat, haud a vero aberraverit. Nec tamen lingua, quod ex ipsa re consequatur necesse est, tot vocabulorum pluralibus formis carere potuit. Totam hanc quaestionem Draeger[1]) syntaxi, Neue[2]) adscribit etymologiae, quorum hunc postremum sequi equidem non dubito. Omnibus autem quae multitudinis numero adhibuit Velleius nominibus abstractis huc afferendis non invitus supersederem, cum vix operae pretium sit, istiusmodi minutias longius consectari, si Georges[3]) eadem re sibi proposita paullo diligentius Vellei libros perscrutatus esset. Quo praeeunte ut substantiva abstracta a Draegero omissa stellula * signabo, ita litteris (a) (b) (c) definiam ordinem, in quem ab eodem redacta sunt; quae vero Georges ipse neglexit, hoc signo † notanda putavi:

actiones (b) II 44, 5. *adsentationes* (b) II 82, 4. *† *aestates* II 47, 1. *aestimationes* (b) II 127, 4. *aetates* (b) II 89, 1. † *amicitiae* (b) II 18, 5. *amplexus* (c) II 123, 2. † *animi* (a) I 14, 1. *apparatus* (b) II 33, 4. *arbitria* (b) II 50, 3. † *argumenta* (a) I 15, 3. † *artes* (a) I 2, 3. *auctus* (c) II 40, 4. † *auspicia* (b) II 39, 1. † *auxilia* (a) II 51, 1. † *beneficia* (a) II 53, 1. † *caedes* (b) II 47, 3. **casus* I 2, 4. *† *causae* I 14, 1. **censurae* II 128, 2. *† *civitates* (germanice vertas 'Bürger-

1) I² p. 10–22.

2) I² p. 419–434.

3) l. l. p. 22. sq. Idem qua de causa *mandata* et *medicamenta* in nominum abstractorum numerum rettulerit, nescio.

recht') I 14, 1. † *clades* (a) II 4, 2. * *clientelae* II 29, 1. *cogitationes* (b) II 41, 1. † *colloquia* (a) II 63, 1. * *commercia* II 65, 1. * *commoda* II 13, 2. *condiciones* (a) II 3, 3. † *consilia* (a) I 1, 3. *consulatus* (c) II 4, 5. *contentiones* (b) I 11, 6. † *contumeliae* (a) I 12, 1. *convictus* (c) II 33, 4. * † *crimina* II 87, 1. *criminationes* (b) II 77,3. † *cupiditates* (a) II 48, 4. † *custodiae* (a) II 88, 2. *damna* (a) II 126, 4. *difficultates* (b) II 120, 4. *dilationes* (b) II 79, 1. *dilectus* (b) II 111, 1. *disciplinae* (a) I 13, 3. *discordiae* (a) II 3, 3. † *dissensiones* (b) II 121, 1. *dolores* (a) II 130, 4. *emptiones*[1]) (c) II 81, 3. *errores* (b) I 4, 4. *eruptiones* (c) II 47, 1. * *exempla* II 3, 4. *exercitationes* (b) II 79, 1. † *exercitia* (c) II 109, 1. * *expeditiones* II 31, 2. *experimenta* (b) II 94, 4. *expugnationes* (b) II 98, 2. *exsecrationes* (b) II 46, 3. *facultates* (b) II 82, 4. *fata* (a) II 12, 1. *flagitia* (a) II 91, 3. * *foedera* II 1, 4. *fraudes* (b) II 92, 2. † *grates* (a) II 25, 4. † *gratiae* (a) II 118, 1. † *historiae* (a) II 9, 5. † *honores* (a) I 11, 6. † *ictus* (a) II 27, 5. † *imperia* (a) II 11, 2. † *incendia* (b) II 35, 4. *incrementa* (b) II 34, 3. * *indicia* II 57, 1. *ingenia* (c) II 7, 1. *inimicitiae* (a) II 7, 6. *initia* (b) I 9, 2. *iniuriae* (a) I 8, 4. * *iudicia* II 6, 3. *iura* (a) II 28, 4. *iurgia* (a) II 33, 2. *iurisdictiones* (c) II 117, 4. † *latrocinia* (b) II 31, 2. *libidines* (b) II 48, 4. † *lites* (c) II 118, 1. † *malefacta* (a) II 13, 3. * † *matrimonia* II 103, 5. * *ministeria* II 93, 2. * *molimenta* II 78, 1. *mollitiae* (a) I 6, 2. * *mores* I 13, 3. *motus* (b) I 3, 1. † *munitiones* (b) II 23, 3. *mutationes* (b) II 75, 2. * † *negotia* I 13, 3. * † *numina* II 131, 1. *offensae* (c) II 29, 3. *offensiones* (b) II 93, 2.

---

1) Falso Draeger et Fritschius (l. c. p. 4.) argenteae dumtaxat aetati quam vocant huiusce vocis pluralem formam assignant; ea enim iam Cicero uti non dubitavit Off. II 23, 81: 'propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria.'

*†*officia* II 105, 2. †*operae* (a) II 111, 1. †*opiniones* (b) I 7, 2. *opportunitates* (b) II 111, 4. *oppugnationes* (b) II 95, 2. *ordines* (b) II 112, 6. *pericula* (a) II 35, 4. *praedationes* (c) II 73, 3. *†*praesagia* II 57, 1. *†*praesidia* II 51, 1. *†*principatus* II 128, 3. **principia* II 123, 1. *profectus* (b) I 16, 2. *quaestiones* (b) II 7, 3. *rapinae* (b) II 32, 6. *recessus* (b) II 32, 4. †*reditus* (b) II 81, 2. *†*rudimenta* II 129, 2. *ruinae* (b) II 19, 4. *†*sacerdotia* II 10, 2. **saecula* I 5, 3. †*scelera* (a) II 26, 2. *sensus* (b) I 5, 3. **series* II 118, 1. *†*servitia* II 73, 3. *solitudines* (b) II 55, 4. *studia* (a) I 12, 3. **tempora* I 1, 4. *terrores* (b) II 4, 5. **triumphi* I 9, 5. *usus* (b) II 81, 3. **victoriae* II 46, 1. †*vigiliae* (a) II 1, 1. **vires* I 4, 2. *virtutes* (a) I 12, 3. *vitia* (a) II 10, 1. *voluptates* (a) II 1, 1.

Huic exemplorum collectioni reliquum est ut subiciam, Velleium hac in re paullulum admodum ab optimi aevi, nihil a suae aetatis scriptorum consuetudine abhorrere.

Haec habui de declinatione quae dicerem.

B. De comparatione.

Neque Neue neque Draeger, quorum uterque copiosissime de comparatione disputant,[1]) ea qua opus erat diligentia Nostri libros excussisse videntur.

Velleius — id quod opus eius quamvis strictim attingenti incurret in oculos — neque in laudando neque in vituperando, ut tumidis ipsius verbis utar, 'aut modum norat aut capiebat terminum.' Quo factum est, ut cum in rebus perquam mediocribus verbis uteretur nimis splendidis et rerum modum excedentibus, tum, si singulis viris celebrandis illustrandisque intentus erat, adiectiva participia adverbia, in quibus superlativi vis

1) Neue II² p. 102—137. Draeger I² p. 26—43.

iam inesse videtur, variaret per gradus et profuse superlativis adderet superlativos, qui plus trecenti quinquaginta apud eum inveniuntur.

Ex his pariter atque ex comparativis qui rarius apud optimi aevi scriptores occurrunt nec non quibus primus Noster usus esse videatur hic enumerandos putavi. Quas vero formas novas fecerit,[1]) numeri signo adiecto notare libuit:

1. convenientior I 13,5. *cruentior* II 71,1. *2. flagrantior* II 48,3. *honoratior* II 54,3. *immobilior* II 117,2. *laetius* II 45, 3. *moderatior* II 126, 3. *notior* II 43, 4. II 86, 3. *potentior* II 108, 2. *pronior* I 9, 2. *validius* II 29, 5. II 98, 3. — *3. adfectissimus* II 84, 1. *amoenissimus* II 1, 2. *asperrime* II 7,4. *4. caelestissimus* II 66, 3. II 104,3. *coniunctissimus* II 41, 2. *5. convenientissimus* I 6,3. II 14, 2. *cruentissimus* II 52,3. *6. distractissimus* (coni. Rhenanus; *distraximus* A P) II 114,1. *diversissimus* II 25, 3. *efficacissimus* I 8, 1. *effusissimus* II 41, 1. II 43, 1. *7. eminentissimus* I 12, 3. I 16, 2. II 2, 1. II 17,3. II 22, 2. II 43,3. II 71,2. II 72,3. II 75,3. II 99, 1. II 101, 2. II 121, 3. II 130, 4. *excellentissimus* II 41, 1. *8. excelsissime* I 6, 3. *excelsissimus* II 22, 2. II 96, 3. II 101, 1. II 114, 4. *exploratissimus* II 84,1. *fortunatissimus* II 12,5. *fugacissimus* II 85,5. *9. fulgentissimus* II 39,1. II 64,3. II 71, 1. *honoratissimus* I 11, 6. II 76, 1. *10. impatientissimus* II 23, 1. *11. innocentissimus* II 2, 2. II 13, 2. *instructissimus* II 94, 2. *12. mixtissimus* II 98,3. *obscenissimus* II 83,1. *perfectissimus* I 5, 2. II 36, 3. *pertinacissime* II 18, 4.

---

1) Earum in numerum Draeger I² p. 36 etiam *moderatior* comparativum et superlativos qui sunt *excelsissimus* et *exploratissimus* adscripsit; sed iam priores protulerunt has formas. Cf. Cic. fin. I 1, 2. Caes. b. G. VIII 12, 7. — Caes. b. c. I 70, 4. — Cic. Quir. 6, 15.

remotissimus II 102,3. *13. serissimus* II 131,2. *14. verecundissimus* II 33, 3.

Deinde illud adnotandum est, quod iam Fritschius observavit,[1]) Velleium multo saepius quam alios scriptores adiectiva in — **osus** exeuntia per gradus declinasse: *gloriosior* II 49, 3. *invidiosius* II 45, 3. *periculosior* II 55, 3. *perniciosior* II 47, 5. *tumultuosior* II 74, 1. — *contumeliosissime* I 7, 1. *generosissimus* II 125, 5. *gloriosissimus* II 115, 5. *gloriosissime* II 3, 2. *ingeniosissime* II 48, 3. *periculosissimus* II 105, 1. *perniciosissimus* II 7, 7. *religiosissimus* II 45,1. *speciosissimus* II 79, 2. II 104, 2. *vitiosissimus* II 97, 1.

Quodsi vero II 51,3 'proeliis, sed uno longe *magis* Pompeianis *prospero*' et paullulo infra II 52, 2 'quod (bellum) . . . *magis prosperum* fieret' legitur, equidem Fritschio Velleium comparativum huius adiectivi gradum dedita opera vitasse arbitranti[2]) non assentior. Magis enim casu quam aut ratione aliqua aut observatione factum esse puto, ut priore loco comparativum per circuitum plurium verborum enuntiaret, quae pro sua consuetudine parvo intervallo repetivit.

Liceat hic, quod superest — quamquam totam rem ad syntacticam rationem pertinere fateor — paucis exponere, quo modo Velleius graduum vim auxerit. Discrepans enim a Ciceronis et Caesaris consuetudine, qui vel ablativis ut *multo*, *tanto*, *aliquanto* vel particula quae est *etiam* adiectis comparativi potestatem intendunt,[3]) Noster praeterquam uno loco (II 109, 4 'haud *multo plus*') *longe* particulam adhibuit: *longe praestantiorem*

---

1) L. c. p. 9, ubi nonnulli loci huc pertinentes omissi sunt.

2) L. c. p. 9.

3) Cf. Krebs-Allgayer Antibarb.[6] v. *longe*. Minus recte Zumptius § 108 docet: 'Durch Vorsetzung der Adverbia *etiam* vor den Comparativ und *longe, multo,* um vieles, weit, vor den Comp. und

II 6, 1. *longe maiora et acriora* II 6, 2. *longe maiorem* II 40, 3. II 45, 5. II 79, 3. *longe magis prospero* II 51, 3. *longe tumultuosiorem* II 74, 1. *longe uberiores* II 81, 2.

Praeter omnium quod sciam consuetudinem Velleius *penitus* cum superlativo iunxit II 27, 1: 'vir domi bellique fortissimus *penitus*que Romano nomini *infestissimus*'. Hanc vero locutionem perquam insolentem, in qua adeo offenderat Ruhnkenius, ut verba quaedam Vellei loco suo mota esse suspicatus legendum proponeret: 'belli peritissimus Romanoque nomini infestissimus',[1]) neque Fritschius neque Georges attigerunt. Proxime hic Velleius accedit ad Propertium, qui semel comparativi vim addito de quo agitur adverbio auxit I 16, 7: 'Ianua vel domina *penitus crudelior* ipsa.' Quamquam non hoc dicere volui, hunc poetae locum Vellei illa scribentis animo obversatum esse. Sed haec hactenus.

C. De coniugatione.

Perfecti temporis tert. pers. plur. brevior in *-ere* forma, qua Ciceronem et Caesarem rarissime usos esse nemo nescit, cum iam antea a vetustissimis poetis persaepe esset usurpata, magis frequentari coepit in prosa

---

Superl. wird die Steigerung vermehrt.' Hac enim loquendi formula, quam Velleianam esse exemplis modo demonstravi quaeque nunquam in Ciceronis aut Caesaris libris, semel apud Hirt. b. Alex. 46, 4 (*longe superiores*) invenitur, solutae orationis scriptorum Livius primus poetarum exemplo frequentius nec tamen plus quater usus est. (Cf. Kühnast, Liv. Synt.² p. 351.)

1) Kritzius *penitus* cum superlativo iunctum non magis concoquens Rosenheynii opinatam medelam pro *penitus* conicientis *genitus* in contextum admisit, sine iusta causa. Etiamsi enim concedatur, Vellei dictionem ut inusitatam ita facilem esse Rosenheynii coniecturam, tamen suam scripturae constare integritatem puto. Non enim quaecunque apud Velleium a vulgari loquendi usu discrepant, mutanda sunt.

oratione a Sallustio.[1]) Is enim sonum quendam antiquum et poeticum sectatus adeo in *-ere* terminationem amplexus est, ut plenioris formae non plus octo exempla apud eum inveniantur.[2]) Haec postrema etiam in Vellei libris minus crebro usu est quam illa; nam cum brevior terminatio quadragies septies usurpetur, altera, quae est in *-erunt*, legitur locis triginta octo. Atque apud Sallustium quidem et Tacitum ipsius etiam sensus discrimen aliquod intercedit inter duas illas perfecti temporis formas, id quod Haasius primus accurate demonstravit;[3]) breviore enim terminatione nulla significationis discrimine, pleniore ibi tantum usi sunt, ubi opus erat praesente quod dicitur actionis perfectae. Hoc vero de Vellei usu dici non posse omnibus locis diligenter perpensis certum habeo; immo enimvero Noster solo aurium iudicio ductus modo hanc modo illam usurpasse videtur formam. Quo autem facilius Haasii illam observationem in Velleium non cadere ipse persuadere tibi possis, locos in quibus *-erunt* terminatio legitur, hic enumerabo: I 2, 2. I 3, 2. I 4, 1. I 4, 4 (bis). I 8, 3 (ter). I 8, 5. I 11, 3. I 11, 7. I 14, 5. I 16, 2. II 1, 5. II 3, 4. II 7, 1. II 8, 2. II 9, 1. II 10, 1. II 10, 2. II 11, 3. II 15, 3. II 16, 1. II 17, 1 (bis). II 19, 4. II 21, 6. II 30, 2. II 45, 2. II 70, 1 (bis). II 87, 3. II 90, 3 (ter). II 112, 6. II 128, 3 (bis).

Videamus deinde de contractis quae vocantur perfecti et plusquamperfecti formis,[4]) quas maxime dilexit

---

1) Neue II² p. 389 sqq. ieiunius quam optandum est de perfecti tert. pers. plur. terminatione disputat.

2) Haasii adnot. 269 ad Reisig. schol. lat. (I. p. 323.)

3) In Zimmermanni Annal. stud. antiq. a. 1836. No. 84. p. 673 sqq. — Vid. quoque eiusdem adnot. 269 ad Reisig. schol. lat. Ceterum ibidem commemorat vir doctissimus, Wagnerum idem in Vergilio animadvertisse.

4) Neue II² p. 510–538.

frequentavitque Noster in infinitivo perf. et in plusquamperf. coniunctivo: *desiderasse* II 28,2. *impetrasse* I 11,4. *repensasse* II 12,5. *servasse* II 71,1. — *quaesisse* II 116,5. *obiisse*[1]) (*odisse* P, in mg. *obisse*) II 102,1. Ne semel quidem forma non contracta usus est Velleius.

adclamasset II 4,4. *adligasset* II 43,2. *conciliasset* II 59,2. *dimicassent* II 85,5. *iurasset* II 20,4. II 31,1. *mutasset* II 82,2. *occupassemus* II 107,1. *penetrasset* II 15,1. *praeparassemus* II 111,2. *servasset* I 31,1. *temptassent* II 54,1. *usurpasset* II 27,5. *velasset* II 71,3. *violassent* II 100,5. — *nosset* II 45,1. — *concupissent* II 7,1. *cupisset* II 33,3. *iniissent*[2]) (*inissent* P) II 91,2. °*mollisset* II 121,1. *perisset* II 116,4. *punisset* II 92,2. *quaesisset* II 18,5. °*saevissent* II 13,2. *transisset* II 45,1. — Plenioris formae unum inveni exemplum: *admovisset* II 70,5.

Multo rarius quam alii scriptores[3]) Velleius contractas primae secundae tertiae coniugationis formas, *r* littera syllabam *ve* sequente, usurpavit: *adfirmarant* (em. Momms. *adfirmabant* A P) II 40,2. *appellarant* (em. Orellius, *appellarent* M A) II 16,4. *conciliarat* II 56,4. *liberarat* II, 33,1. *orarat* (em. Halmius, *orabat* A P; vulgatam lectionem Kritzius et Haasius retinuerunt) II 57,2. *triumpharunt* II 11,3. — *norat* II 46,2. At tamen haesito an immerito editores *numerarim*, quod II 7,7 in Amerbachii apographo legimus, in pleniorem mutaverint formam.

Amplius quinquaginta non contractae formae exemplis, quae in Nostri libris occurrunt, afferendis supersedeo.

---

1) Haas. scripsit *obisse*; cf. *transisset* II 45,1. *perisset* II 116,4.

2) Haas. etiam hic quam Ed. princ. exhibet formam in textum recepit.

3) Neue II² p. 527 sq.

Ad quartam vero quod attinet coniugationem, Velleius syncopatis ut ita dicam formis saepenumero usus est. Quibus in enumerandis verba cum eundi et petendi verbis composita, cum rarissime non patiantur syncopen, neglegenda ratus sum:

concupiit II 33, 3. *desiit* I 12, 7. *desierunt* I 2, 2. I 8, 3. *fastidierant* II 77, 3. ⁰*gestierunt* II 7, 1. *lacessierat* II 69, 3. *nequiit* II 68, 2. *quaesierit* I 2, 3. *saeviit* (ex Hauptii coniectura) II 82, 1. *saevierant* II 7, 4. *serviit* I 13, 3. *sopiit* II 125, 3.

Contra habes haec plenioris formae exempla: *acciverat* II 20, 3. II 38, 6. II 80, 1. *audivit* II 129, 2. *concupivit* II 88, 2. *excivit* II 61, 2. *finivit* II 3, 2. *nequiverint* I 16, 5. *petivit* (Asiam fuga *petivit* iussuque M. Antonii, cuius opem *petierat*) II 79, 5. *sepelivit* (de Ruhnkenii emendatione) II 82, 1.

Restat, ut singillatim dicam de formis nonnullis, quibus usus Velleius plus minusve ab optimorum scriptorum dicendi consuetudine abhorreat.[1])

Ea coniugationis periphrasticae quae dicitur forma, quae constat e participio perfecti et *fui fueram*,[2]) apud Velleium his invenitur locis:

porticus quae *fuerunt circumdatae* duabus aedibus I 11, 3. per cuniculos, qui miro opere *fabricati* in diversas agrorum partis *fuerunt*[3]) II 27, 4. eius, a quo

---

1) Causam cum requiro, de qua Georges l. l. p. 52 inter verborum formas minus usitatas participia quae sunt *extentus* I 11, 6. II 70, 2. et *immixtus* I 2, 2 adnotanda putaverit, nullam reperio cf. Neue II² p. 570 sq. p. 556.

2) Neue II² p. 352 sqq. Zumpt.¹⁸ § 168. Draeger I² p. 276 sq. Haasii 447 adnot. ad Reisig. schol. lat. — cf. quoque Kühnast., qui l. l. p. 204 sqq. hanc formam a Livio primo magis frequentatam esse docuit.

3) *fuerunt* AP. Halmius de coniectura, qua opus non erat, Burmanno praeeunte scripsit *ferebant*. — cf. Kritzius ad h. l.

ipse in consulare *provectus* fastigium *fuerat* II 69, 1. Nerone, cui ante *nupta fuerat* II 79, 2. II 94, 1. Iulia quae *fuerat* Agrippae *nupta* II 96,1. quia Romanis et armis et animis *usi fuissent* II 119, 2. Lepidus deinde a senatu hostis iudicatus est, ut ante *fuerat* (sc. iudicatus) Antonius II 64,4.

His ex locis iam apparet, de Vellei usu non omnino dici posse, quod Haasius in 447 ad Reisigii schol. lat. adnot. universe docuit, in huiuscemodi formis participium, temporali vi fere exuta, prope ad adiectivi accedere significationem.

forem cum partcipio perfecti coniunctum[1]) ter plusquamperf. coniunctivi, nunquam in enuntiatis condicionalibus loco coniunctivi fut. exacti reperitur: et quid, non in quantum *admissum foret*, aestimabant II 8, 1. circa quam urbem, cum in multis aliis regionibus exercitus *dispersi forent*, LXXV milia civium . . . conflixerant II 21, 1. tum demum pacati sunt, cum paene funditus *eversi forent* II 115, 4.

Cum participio futuri activi copulatum *forem*[2]) naturalem ac principalem significationem non amisit, ita ut quasi futurum coniunctum esse videatur cum futuro: praefatus, neminem alium . . . futurum fuisse, cuius se potestati *commissurus foret* II 37, 4. proinde viderent, quem et quo loco imperatorem *deserturi forent* II 55,3. ut diiudicari non potuerit . . . uter populus alteri *pariturus foret* II 90, 3.

E contrario deperdita significatione antiquissima

1) Neue II² p. 366 sqq. Kühnast.² p. 215 sq.

2) Neue II² p. 381 sq. Zumpt.¹³ § 156. Haasii adnot. 445 ad Reisigii schol. lat. Kühnast.² p. 215 sq. — Loci autem Velleiani ut praesidio sunt Haasio et Kuehnastio, ita contra Neueium afferri possunt, qui in hisce formis nihil discriminis intercedere contendat inter *forem* et *essem*.

forem nihil videtur differre ab *essem* his locis: facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem *eundum foret* II 5, 3. testareturque esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei *excedendum foret* II 68, 5. cum sciret, quis . . . *accersendus foret*, festinanter revocavit filium II 123, 1. nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore *consequendum foret* II 128, 3. — I 6, 2. II 26, 2. II 28, 3. II 41, 3. II 63, 1 (bis). II 65, 1. II 72, 5. II 124, 1.

Primus Velleius *ausus* participium passiva vi usurpavit, quod exemplum perpauci secuti sunt:[1]) non ab Scipionibus aliisque veteribus Romanorum ducum quidquam ausum patratumque fortius II 80, 3.

Participia *expertus* et *partitus* passive proferuntur:[2]) virtutique expertae in Africa respondit in Hispania II 4, 2. legatos . . . partitis praefecit hibernis II 113, 3. Cuius usus, quem Cicero non respuit, plurima invenies exempla apud Livium[3]).

Testari passiva vi usurpatur:[4]) quali adiutore . . . usus sit, ipsius patrisque eius praedicatione testatum est II 115, 1. utinam non maioribus experimentis testatum esset II 116, 3.

Verba quae sunt *fabricari* et *frustrari* ab optimis solutae orationis scriptoribus nisi activa significatione non usurpata[5]) Noster omnibus quibus exstant locis passive protulit: per cuniculos, qui . . . fabricati fuerunt II 27, 4. classe fabricata II 79, 2. frustratus spe II 21, 2. intel-

1) Neue II² p. 333 sq.

2) Neue II² p. 279. 310 sq.

3) Kühnast.² p. 270 sq.

4) Neue II² p. 324.

5) Neue II² p. 284 sq. 288 sq. (Sall. Iug. 58, 3. falso Neue huc attulit; nam illo loco haud dubie cum H. Iordano³ legendum est: 'pauci in pluribus minus *frustrari*.') — Draeger I² p. 157.

lexit, frustratum esse visum suum II 43, 2. frustratis custodibus II 87, 1.

Verbi deponentis quod est *pacisci* passiva significatione usurpati[1]) participium perf. gen. fem. exemplo Vergilii[2]) vi substantivi positum est: quod pactae eius . . nuptias occupaverat I 1, 3.

Contra perpetuam Vellei consuetudinem (II 14, 1. II 40, 2. II 50, 2. II 56, 3. II 88, 1.) semel legimus *reversus est* II 42, 3. Halmius praeeunte Haasio, qui primus de loci sanitate dubitavit, *revectus est* scripsit. Cui Haasii coniecturae, qua non omnino opus esse ex Neuei[3]) exemplorum collectione apparet, mea quidem sententia praesidio est participium *revectus* eadem in enuntiatione repetitum[4]).

Ac ne illud quidem tacebo, quantulum id cunque est, participium fut. act. *pariturus* (a *pareo*), quod II 90, 3. legimus, apud Velleium primum occurrere[5]).

Denique commemoranda est forma, quae plurimum habet insolentiae: '*peragratusque* victor omnis partis Germaniae' II 97, 4. Quo ex loco, quamquam *peragrari* deponens nusquam alias legitur, grammatici et lexicographi *peragror* in deponentium verborum numerum referre non dubitarunt. Ruhnkenii autem exemplum, qui offendens in forma insolenti coniecit *pervagatus*, praeterquam Neue[6]) nemo secutus esse videtur. Atque profecto istam causam non sufficere ad scripturam mutandam, persuasit mihi Kritzius ad. h. l.

Sed iam vereor, ne nimius in hoc genere videar

---

1) Neue II^2 p. 309. Haasii adnot. 285 ad Reis.

2) Aen. X 79: 'quid soceros legere et gremiis abducere pactas.'

3) II^2 p. 346.

4) Cf. Kritzius Proleg. p. LXVII.

5) Neue II^2 p. 586.

6) II^2 p. 331.

et ipsa res monet, ut accedam ad voces, quas Velleius et qua significatione usurpaverit, perlustrandas.

II. Index vocabulorum et locutionum forma vel notione memorabilium.

Non ultimum necesse est obtineat locum quaestio de vocabulorum copia, orationis fundamento instituta cum in cuiuslibet scriptoris, tum in Vellei illustranda latinitate, utpote qui primus argenteae aetatis auctorum — quorum quidem scripta ad nos pervenerint — in publicum dederit librum suum. Atque profecto Velleium, quod attinet ad voces ipsas easque usurpandas, non paullum ab optimorum scriptorum usu recedere, statim cognosces.

Quae tamen mihi erat ratio instituenda in disponendo et ordinando hoc indice verborum forma vel notione memorabilium? Nolui enim per omnia litterarum ordinem sequi, qui eam potissimum ob rem mihi displicuit, quod scribenti ingratissimam imponit necessitatem easdem locutiones iterum atque iterum repetendi. Neque satius duxi, singulis orationis partibus separatis aut litterarum ordine verba digerere aut eiusdem terminationis voces componere; utraque enim ratio eadem de causa qua prima dispositio mihi non probatur; praeterea autem minuta illa nimis multarum particularum separatione impeditur, quo minus in uno eoque facili conspectu collocetur verborum copia et usurpatio.

Sed iam satis constat, inter aureae et argenteae aetatis scriptores — si discesseris a verborum constructione, — has in primis valere discrepantias: multae apud argenteae aetatis exstant voces, quae apud priores omnino non inveniuntur, multae deinde, quas alia atque illi significatione usurpaverunt, multae denique e poetarum sermone depromptae. Iam hanc partitionem natu-

raliter se offerentem sequi optimum mihi visum est. Neque tamen hic acquiescendum putavi. Nam praeter tria illa vocabulorum genera non nulla apud Nostrum nobis occurrunt verba, quae quamquam eadem forma ac notione apud Velleio antiquiores reperiuntur, a classicis qui dicuntur scriptoribus[1]) aut prorsus non aut diversa potestate usurpata sunt. Hac igitur ratione circumscripsi enumerationem vocum, ut omitterem omnes, quae eadem atque apud Velleium vi in classicorum scriptorum libris legerentur. Itaque vitavi, ne in id quod Georges inciderem, cui in colligendis verbis apud optimos scriptores rarius obviis ut modum teneret minime contigit. Num vero ipse in afferendis et digerendis vocabulis rectam viam ingressus sim, aliorum erit iudicium.

Hic autem si quis ita mihi occurrat, ut remittens me ad Georgis dissertationem acta me egisse dicat, ei hoc respondeo: primum quidem novum quoddam fundamentum, in quo ipse meum opusculum exstruerem, facta mihi sunt lexica illa Mergueti,[2]) viri de grammatica latina optime meriti; his adiutus multos effugi errores, qui ante hos decem annos declinari vix poterant, certe non declinati sunt a George, quippe qui immerito multas voces notiones locutiones classicis scriptoribus abiudicaverit. Quae autem ille hac in re peccaverit hic referre aut refellere longum est nec necessarium.

Multa deinde Georges omisit, multo plura quam quae excuses quamque Wagener[3]) in iudicium vocans eius

1) Hos autem neminem nisi Ciceronem, Caesarem, Hirtium intellegi velim; nam — ut taceam de aliis — Sallustium iam recedere a castitate et sinceritate sermonis latini, Livium quasi medium quendam inter aureae et argenteae aetatis scriptores locum tenere, hodie omnes viri docti statutum habent.

2) Vid. p. 53.

3) Philol. Anzeig. a. 1878. IX. p. 194 sq.

commentationem statuit. Liceat unum et illustrissimum pro multis afferre exemplum: 'ex lingua graeca' ait Georges p. 6 'desumptas voces habet Velleius has: *dynastes* ... *naumachia* ... *tetrarches*.' Equidem omissis omnibus, quae ita in latinitatem abierunt, ut omnem amitterent peregrinitatis speciem ut *historia hora philosophus,* collegi has:[1]) *acanthus* ἄκανθος II 56, 2 (Verg.). *architectus* ἀρχιτέκτων II 14, 3 (Plaut.). *archon* ἄρχων I 2, 2. I 8, 3 (Cic. fat. 9, 19). *aspis* ἀσπίς II 87, 1 (Cic.). *asylum* ἄσυλον I 8, 5 (Cic.). *athleta* ἀθλητής II 123, 1. (Cic.). *balineum* βαλανεῖον II 114, 2 (Plaut.). *barbarus* βάρβαρος II 73, 1. II 107, 1. II 108, 2. II 118, 2 (Plaut.). *comoedia* κωμῳδία I 16, 3 (Plaut.). *cothurnus* κόθορνος II 82, 4 (Liv. Andr. tr.). *dynastes* δυνάστης II 51, 1 (Cic.). *grammaticus* subst. γραμματικός I 17, 4 (Cic.). *historicus* subst. ἱστορικός I 17, 2 (Cic. top. 20, 78). *linter*[2]) πλυντήρ II 107, 2 (Cat. r. r. 11, 5 luntris). *magus* μάγος II 24, 3 (Cic.). *naumachia* ναυμαχία II 56, 1. II 100, 2 (Lucil.). *olympias* ὀλυμπιάς I 8, 4 (Cic.). *plastes* πλάστης I 17, 4 (Vitr. I 1, 13). *scaenicus* σκηνικός II 40, 4 (Ter.). *tetrarches* τετράρχης II 51, 1 (Cic.). *theatrum* θέατρον I 15, 3. II 32, 3. II 48, 2. II 79, 6 (Naev.). *thyrsus* θύρσος II 82, 4 (Acc. tr.). *tragicus* τραγικός I 3, 2 (Plaut.). *tragoedia* τραγῳδία I 16, 3. I 17, 1. II 9, 3 (Plaut.). *tyrannus* τύραννος II 58, 2 (Pac.).

Non nullae denique Georgis observationes neglegentiam temeritatemne maiorem prodant incertum est.

---

1) Singulis vocabulis nisus auctoritate Weisii (Die griech. Wörter im Lat. Leipz. 1882) et Saalfeldii Tensauro italograeco (Wien 1884) uncis inclusum eius scriptoris addidi nomen, apud quem primum exstare videntur.

2) Tuchhaendler in dissertationis cui inscripsit 'De vocabul. graec. in ling. lat. transl.' p. 9 (1876) Corssenum secutus hanc vocem non translatam sed italograecam esse contendit.

Conferas velim exempli causa quae de vocibus *priores* (p. 17) *par* (p. 30) *vetus* (p. 31) ille adnotavit. Haec quam aliena sint a vero hic disputare nihil attinet.

Neque commodum aut necessarium mihi visum est, Georgis exemplo vocabula ipsa notionumque mutationes testimoniis ex scriptoribus Velleio aetate posterioribus congestis, quae cumulare nihil negotii est, confirmare. Immo in singulis verbis pertractandis, ubi neminem, qui post Velleium pariter atque ipse Velleius locutus esset, reppereram, id ipsum paucis adnotare satis habebam.

Iam restat, ut enumerem editiones verborum indicibus instructas et lexica ad singulos scriptores speciatim condita, quae in his conscribendis praeter Forcellini (cur. Vinc. de-Vit, Prati 1860—1875) Georgis (Leipz.⁷ 1879—80) Klotzii (Braunschw. ⁵1874) thesauros mihi usui fuerunt:

Scaen. Roman. poes. fragm. rec. O. Ribbeck, Lips. ²1871. 1873.
Q. Enni carm. rell. — Acced. Cn. Naevi belli Poenici quae supersunt. Adn. L. Mueller, Petrop. 1885.
Plaut. ed Ch. Weise, Quedlinb. 1837. 1838.
Terent. ed. Bentley, Lips. ²1791.
Harderi index Lucilianus, Berol. 1878.
Lucr. ed. Eichstaedt, Lips. 1801.
Cat. ed. Sillig, Gotting. 1823.
G. A. Koch: Vollständ. Wörterb. zu den Gedichten des Vergilius, Hann. ⁶1885.
C. Zangemeisteri index in Horat., Berol. 1879.
Tib. ed. Brouckhuysen, Amstel. 1708.
Prop. ed. Kuinoel, Lips. 1805.
Ov. ed. Nic. Heinsius (indicem verborum adiecit Fischerus) Lips. 1758.
Eichert: Vollständ. Wörterb. zu den Verwandl. des Ovid, Hann. ⁹1886.
Manil. rec. Jacob, Berol. 1846.

Nizolii lexicon Ciceron. Patavii 1734.
H. Merguet: Lexicon zu den Reden des Cicero, Jena 1877—1884.
H. Merguet: Lex. zu den philos. Schrift. Cic. Fasc. I. Jena 1887.
H. Merguet: Lex. zu den Schriften Caesars und seiner Fortsetzer, Jena 1886.
Sall. ed. Dietsch, Lips. 1859.
Nep. ed. van Staveren, Lugd. Bat. 1734.
Nohlii index Vitruvianus, Lips. 1876.
Ernesti glossar. Livianum, Lips. 1804.
Iustin. ed. Gronovius, Lugd. Bat. ^{2}1760.

Val. Max. ed. Torrenius, Leid. 1726.
Phaedr. cur. P. Burmanni, Lugd. Bat. 1745.
Curt. ed. Snakenb., Delph. et Lugd. Bat. 1724.
Pers. ed. Jahn, Lips. 1843.
Lucan. ed. Oudendorpius, Leid. 1728.
Petron. ex rec. Burmanni ed. et ind. uberrimum adiecit Gottl. Antonius, Lips. 1781.
Val. Flacc. ed. Burmannus, Lugd. Bat. 1724.
Sil. Ital. cur. Ruperti, Goetting. 1795. 1798.
Stat. ex rec. Barthii, Cygn. 1664.
Mart. ed. Friedlaender, Leipz. 1886.
Lexicon Quintil. ed. Bonnellus, Lips. 1834.
Lexicon Tacit. scr. Boetticher, Berol. 1830.
Lexicon Tacit. ed. Gerber et Greef. (Fasc. I—VI.) Lips. 1877—1886.
Plin. (C. Plin. Caecil. Sec.) ed. Gesnerus, Lips. ^{2}1770.
Iuv. ed. Jahn, Berol. 1851.
Clavis Sueton. ed. Baumgarten-Crusius, Lips. 1818.

Ex hac enumeratione vel me tacente apparet, indices nonnullos in usum meum convertere me non potuisse. Quibus praeterea ad singulas voces auctoribus usus sum, eos suo quemque loco afferam.

lineolis || || saepsi verba, quae Halmius aut de sua aut aliorum de coniecturis in textu quem vocant expressit.
uncinis [ ] inclusi verba, quae vellem Halmius veteris scripturae vestigiis insistens retinuisset.

I. Vocabula a Velleio novata.[1])

||*adhortatus*||: principes viri . . . adhortatu (*adhortatur* A) principis ad ornandam urbem inlecti sunt II 89, 4.

admirator: Scipio liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator I 13,3. — Phaedr. IV 22,21. L. Muell.

**caeruleatus* 'est caeruleo colore, qui deorum marinorum est, obductus' (Kraus.): Plancus . . . cum caeruleatus . . . Glaucum saltasset II 83,2.

celsitudo: iuvenis genere, forma, celsitudine corporis . . . instructissimus II 94,2.

**circumnavigare*: classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus II 106,3.

||*civilitas*|| animum moremque civilem significat: quanto cum temperamento simul civilitatis (*utilitatis* A P) res auctoritate imperatoria gessit II 111,4.

consummatio (cf. 4. *consummare*): consummatione evectae in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est II 116,4.

conversatio: nec defuit conversatio hominum vitia eius adsentatione alentium II 102,3. — 'Ne quis Velleium voce *conversatio* nove usum dicat, sciat, illam usurpari a Trogo XXXIX 1. (3) XLIV 4 (8). Nec est, quod Iustino potius quam Trogo hoc vocabulum tri-

---

1) Contra Ciceronis definitionem, quam de orat. III 38,154. legimus: 'novantur autem verba, quae ab eo qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt', equidem novasse semper Nostrum dico ea, quae apud eum primum inveniuntur.

Stellula *addita vocibus signif. ἅπαξ εἰρημένον.

buatur.' (Ruhnk.) Quod etsi facile concedo (cf. F. Ruehl. ann. Fleck. CXXI p. 571 adn. 21. — Seck, de Pompei Trogi sermone I. p. 27), tamen ut in re incerta melius duxi, de quo agitur vocabulum huc inserere.

desponsare pro *despondere* ponitur: cum esset privigna Antonii desponsata Caesari II 65,2. — Suet. Caes. 1. — In eiusdem Claud. 27, quem locum Luebker in Klotzii lex. lat. affert, hodie legitur *despondisset* (162, 17 R.) et *desponsam* (162,23 R.).

difficile vi adverbii ponitur: sibi difficile consentiens II 63,3. — cf. Neue II² p. 658. Draeger I² p. 113. 125.

dispungere: neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit I 13, 3. — Ad huius verbi vim quod attinet, cf. Krausius ad h. l. '*dispungi* item *interpungi* dicuntur, quibus interponitur aliquid, quod alius generis est, et quo illa velut variantur, quod alias est *distingui*.' Haud inopportune Ruhnk. contulit. Cic. de orat. II 80, 328: 'narratio distincta personis et interpuncta sermonibus' et or. 16,53: 'Distincta alios et interpuncta intervalla, morae respirationesque delectant.'

‖*effluvium*‖: sanguinis cerebrique effluvio (*in fluvio* AP) II 120,6.

exarmare et propria et transl. signif. primus usurpavit Velleius: consulem ... exarmatum ... et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes II 25, 3. — Italico bello, quo quidem Romani victis adflictisque ipsi exarmati quam integri universis civitatem dare maluerunt II 17, 1. '*exarmati* sunt infirmi et debiles facti' Ruhnk.

excalceare: neque unquam aut nocte aut die... aut excalcearetur aut discingeretur II 41, 3. — Apud Varr. verbum deponens *excalceari* exstat Sat. Men. 439. Buech.

(= ap. Non. 478, 12 Quich.): ut intro eat, nemo se excalceatur.

exercitium: corpus suum || custodientium || imperium perpetuis exercitiis paene ad Romanae disciplinae formam redactum II 109, 1. — Verba 'frequentibus exercitiis praeparare milites ad proelia,' quae ap. Veget. r. m. I 9. leguntur, Luebker in Klotzii lex. lat. falso Sallustio tribuit.

exsecutor: malorum propositorum exsecutor acerrimus II 45, 1.

favorabilis: Luculli et Metelli triumphum cum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompei ... fecit favorabilem II 34, 2. cuius (Pompei) reditum favorabilem opinio fecerat II 40, 2. — cf. Haasii ad Reisig. schol. lat. adnot. 187.

honorate: quam illum ut honorate, sic secure continet II 129, 3. — Draeger. I^2 p. 114.

infacete: quem (Lucullum) ... haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare adsueverat II 33, 4.

inimitabilis: morum certe dulcedo ... inimitabilis fuisse dicitur II 97, 3.

innutrire: Nero ... innutritus caelestium praeceptorum disciplinis II 94, 2.

intellectus ap. Vell. idem fere est quod ap. Cic. *intellegentia:* manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum I 13, 5. — cf. Haasii ad Reisig. schol. lat. adnot. 117.

interemptor II 129, 1.

lacernatus: (Caesar) cum inermis et lacernatus esset II 80, 3.

marcor (cf. 3. *marcere*): exercitus ... marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunae circumventus II 119, 2.

patratio: eiusque (belli) patratione Asiae securitatem ... reddidit II 98, 2.

peragrari II 97, 4. vid. p. 48.

praedatio: latrociniis ac praedationibus infestato mari II 73, 3.

[*praeparatus*]: praeparatus contra eum Caesaris habuit belli metum II 76, 3. — Non constat sibi Halmius Velleio hoc vocabulum eam ob rem, quod praeterquam ap. Gell. X 11, 7. nusquam invenitur, eripiens, ut pote qui II 65, 2. *desponsata* lectionem apographi Amerbach. retinuerit. (cf. II 79, 2. II 94, 1.)

prosus: prosae eloquentiae decus ... sub principe operis sui erupit Tullio I 17, 3.

repensare i. s. q. ap. Cic. *compensare:* mala bonis repensasse II 12, 5. voluptas ... damno repensata est II 21, 4. — vid. 4. *pensare.*

||*sacerdotalis*||*:* nobilissimis ac sacerdotalibus (*sacerdotibus* A. P.) viris II 124, 4.

scalptor: hoc idem evenisse grammaticis plastis pictoribus scalptoribus I 17, 4.

secure: quam illum ut honorate, sic secure continet. — cf. Draeger I^2 p. 116.

**subrefectus* est *paullulum refectus:* Augustus . . . subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus II 123, 2.

**tergiversanter* i. q. *cunctanter:* qui ad Cannas quam tergiversanter perniciosam rei publicae pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat I 9, 3.

transcursus vocabulum saepe Velleius usurpat ad declarandam brevitatem, qua omnia festinanter percurrit: quanto omnia transcursu dicenda sint II 55, 1. quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat II 86, 1. illud etiam in hoc transcursu dicendum est II 99, 4.

2. Vocabula, quibus novam significationem imposuit Velleius.

accedere alcui i. q. *assentiri alcui:* libenter enim iis, qui ita prodiderunt, accesserim I 8, 5.

accire transl. de rebus usurpatur: regis morte, quam ille conscientia acciverat II 38, 6. — Commode Ruhnk. laudavit Flor. IV 2, 71 (= II 13, 71 Halm.): Cato... mortem sibi etiam laetus accivit. — Multo frequentior hac in re est locutio *mortem arcessere.*

actus i. q. *negotium:* virum . . . actu otiosis simillimum II 127, 4. — Auct. Tull. in Sall. 1, 1.

adicere manum sane insolenter dicitur pro *afferre* s. *inicere manum:* Parthus desciscens a societate Romana adiecit Armeniae manum II 100, 1. — Val. Max. VII 5, 4: belli, cui summam manum L. Mummius adiecit.

adsentari et

adsentatio contra vulgarem horum verborum significationem in bonam partem accipienda sunt de *assensione:* Pompeius . . . iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, adsentabatur (opp. *adversabatur*) II 48, 1. — qui M. Tullio tantum tribuere, ut paene adsentatione sua quibus vellet principatus conciliaret II 128, 3.

adsurgere transl. ponitur pro *ascendere:* in triumphum et pontificatum adsurgeret II 51, 3. — Rara loquendi forma, cuius exemplum non repperi. — cf. tamen Verg. G. III 109.

Aeolii a Velleio primo *Aeoles* dicuntur I 4, 4. — Pomp. Mel. I 90=25, 7. Parth. *ab Aeoliis* (aeolis A. B. eolis K L R). Serv. ad Aen. III 445: *Aeolii* (*aeli* L *aeoles* E). — De varietate in huius populi nomine vid. Lachm. ad Lucr. V 85. (p. 280), qui *Aeolii* formam apud Vell. non ferendam, sed in *Aeoli* mutan-

dam esse contendit. Quam sententiam u tconfirmaret, potuit conferre vir doctissimus Pomp. Mel. I 93 = 26,1. Parth. *Aeolorum* (corr. *aetolorum* A. *aetholorum* C. D. G. Havn. Ven. *etholorum* L. P. R.) et II 120. = 60,10 P. *Aeoli*. Nec tamen, quamquam non uno loco, de quo quidem dubitari nequeat, *Aeolii* forma legitur — nam Velleiano codici in rebus dubiis minima est auctoritas — Lachmanni rationes apud me non tantum ponderis habent, ut a vulgata scriptura recedendum putem. Etenim tutius est, in talibus codices sequi.

agnoscere insolenter et sine exemplo quantum scio, cum *ut* particula iungitur: vix ut senator agnoscitur II 10, 1. — Similiter Velleius dixit II 80, 2: totam victoriam ut suam interpretabatur. — Minus insolentiae habet locutio *interpretari alqd pro alqua re*, quae invenitur II 83, 2: clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur. — Cf. Draeger § 170, 3a. (I^2 p. 384.)

attollere quod verbum classici qui dicuntur scriptores dedita opera videntur evitasse, transl. de personis usurpatur: quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur II 65, 1. — cf. Cic. Phil. XIII 17, 36 'ubi Cic. *ornare* dicit, quod Velleius *attollere*, alii *evehere*.' Ruhnk.

auctorare latiore signif. usurpatur pro *redimere*: Perpenna . . . Sertorium . . . interemit Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore II 30, 1. — Proprie Hor. S. II 7, 59 et Liv. XXXVI 10, 8. *auctoratus* is dicitur, qui mercede accepta operam suam vendidit, *se auctoravit*, qui conductus est ad alqd. faciendum.

auspicari inde a Velleio saepius eadem signific. qua *in-*

cipere obvium est: quem militiae gradum . . . auspicatus in Thracia . . . recordatione perfruor II 101, 3.

auspicatus i. s. q. *faustus*: cum . . . auspicatis rei publicae ominibus duxisset eam (Liviam) uxorem II 79,2. — Hor. C. III 6, 10.

avunculus maior pro *avunculo magno* (Cic. Brut. 62, 222) ponitur: C. Caesar, maior eius (C. Octavii) avunculus II 59,3. — Suet. Aug. 7. Claud. 3. — cf. Drakenb. ad Liv. epit. l. CXVII, ubi vir doctissimus statuit, *avunculum magnum* aviae, *a. maiorem* proaviae fratrem esse, sed in communi loquendi usu scriptores illud discrimen non observasse.

condere coloniam I 3, 3. I 15, 1 et 4. II 7,8. — *c. nominare* II 74, 2 (*c. appellare* Hirt. b. G. VIII 50, 1). — *c. ponere* II 7,7 (Flor. I 4, 2: Ostiam . . . coloniam posuit. — *ponere urbem* saepius legitur apud poetas). — Tamen sollemnis hac in re elocutio *deducere coloniam* multo saepius legitur ap. Velleium: I 14. sexies et al.

condere insolentius de regione dicitur, in quam vel primi incolae vel novi cives deducuntur: [insulam circumfusam] Oceano Gadis condidit I 2, 3. Hanc verbi *condere* vim non assecutus Lipsius scripsit: 'in insula circumfusa etc.', quem Halmius secutus est. Neque tamen opus est — id quod ut omnes adhuc editores vulgatam retinentes ita Georges p. 46 fecerunt — hanc verbi significationem ex graeco *κτίζειν* repetere. Nam similiter alii latini scriptores locuti sunt. Cf. Verg. Aen. VII 157 sq. 'ipse humili designat moenia fossa Moliturque locum (i. e. in loco aedificia molitur) primasque in litore sedes Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.' — Suet. Vesp. 8 = 230,20 R. 'vacuas areas occupare et aedificare (germ. *bebauen*) . . . cuicum-

que permisit.' Quos locos addas Naegelsb. stil. lat. p. 331 (ed. VII cur. I. Mueller.).

confiteri: fuitque in confesso (sequitur acc. c. inf.) II 85, 5. — Haec locutio inde a Velleio frequentari coepit.

confusio de animi perturbatione usurpatur: quae senatus trepidatio, quae populi confusio II 124, 1. — Vid. Boettich. lex. Tac. p. 105. — (Cf. tamen Cic. n. d. I 2, 3.)

contingere rarissima signif. usurpatur: sors Tyrrhenum contigit I 1, 4. — Sic a Ruhnkenio laudatus Dict. Cret. V 13 = 98, 15. Meister: ut quemque sors contigerat. (Simili modo Ov. Trist. III 4, 78: nec unquam Contacti simili sorte rogetis idem). — Falso ut omnes lexicographi ita H. Georges p. 37 huc trahit Plin. h. n. XVIII 11 (29), 109. Nam illo loco sine dubio cum Detlefsenio legendum est: 'palma frugum indubitata *Italiae* (non *Italiam*) contigit.

continere absolute dicitur pro *se continere:* cupiditas non continentium (militum), protinus quin adicerent II 104, 4. — Cuius usus exemplum non repperi; nam locus ille, quem Luebker in Klotzii lex. lat. ex Plaut. Men. II 1, 28 (253) affert, hodie legitur: nequeo *contineri* (non *continere*), quin loquar.

convictus est pro *convivio:* Lucullus . . . profusae huius in aedificiis convictibusque . . . primus auctor fuit II 33, 4.

destruere de homine dicitur: defuisset fortunae destruendi eius locus II 48, 2.

dominium ap. Lucil. sat. XIII 12 (ap. Non. 281, 23) et Cic. Verr. III 4, 9 *convivium* est. cf. Non. p. 281, 18 sq. Quich.: 'dominus rursum appellatur convivii exhibitor: unde et *dominia, convivia.*' — 'Contulerim cum nostro Gastgebote' Zumpt. ad Cic. Verr. III 4, 9. —

Apud Vell. *dominium* i. s. q. *potestas:* vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt II 80, 4.

effusus: effusissimum Adriatici maris sinum II 43, 1. 'Latini *effusa* ut Graeci *κεχυμένα* omnia *ampla* et *spatiosa* dicunt' Ruhnk. — Cic. *effusus* transl. de hominibus prodigis dixit.

egredi pro *superare* ponitur: Pompeius . . . per omnia fortunam hominis egressus II 40, 2. — v. 5. *transgredi.*

eminentia: reperiet, eminentiam cuiusque operis artissimis temporum claustris circumdatam I 17, 4. — Cuius vocis interpres ipse adhibeatur Vell. I 16, 2: 'cuiusque clari operis capacia ingenia.' Apud Ciceronem, huius vocabuli novatorem *eminentia* duobus invenitur locis: n. d. I 38, 105. propria signif. usurpatur; transl. acad. pr. II 7, 20. i. s. q. *lumen* ap. Plin. ep. III 13, 4: 'in pictura lumen non alia res magis quam umbra commendat.'

excedere ad deos paullo insolentius is dicitur, qui, postquam vita excessit, in deorum recipitur numerum: Hercules ad deos excesserat I 2, 1. — cf. Vogel.[2] ad. Curt. IV 7, 28.

excessus perquam insolenter propria signif. accipiendus est pro *decessu:* neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis vacavit Romanis colonias condere I 15, 1. — Apud Cic. *excessus*, sive absolute ponitur (leg. I 1, 3. rep. II 30, 52.) sive coniungitur cum verbis *e vita*, i. s. q. *mors.*

fatalis mors est mors *naturae debita* et opponitur *violentae:* seu fatalem . . . seu conflatam insidiis . . . mortem obiit II 4, 6. fatali morte functi sunt II 48, 6. — Plin. ep. I 12, 1. — Longe diversa signif. haec vocabula iunguntur ap. Cic. Phil. XIII 16, 33:

'Caesaris mortem ulcisci volebant, quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur.'

finis: nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans II 123, 2. — 'Non habeo vetustiorem Velleio auctorem, qui *finem* pro *fine vitae* sive *morte* dixerit. Ex eadem aetate Val. Max. III 3, 4: forti fine inlustrem professionis actum comprobavit. — At *finiri* pro *mori* est apud antiquiores Velleio. Cicero, oraculum graecum vertens, Tusc. I 48 (115): Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.' Ruhnk.

formula ponitur pro *forma* contra omnium quod sciam scriptorum consuetudinem: natio redacta in formulam provinciae II 38,1 Africam in formulam redegit provinciae II 38,2.

genitalis, qua voce prosae orationis scriptorum ante Vell. nemo usus est, insolentius usurpatur pro *natali*: cum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem ... Byzantium Mileto, genitali solo II 7,7.

grates solvere: Sulla gratis Dianae solvit II 25,4. Sollemnis hac in re formula est *grates agere* (Kuehnast[2] p. 337). — Verg. Aen. I 600 et II 537: *grates dignas persolvere.* Tac. a. XIV 13 *grates exsolvit.*

habere insolenter et sine exemplo, quod sciam, praegnanti sensu dicitur pro *agere, in manibus habere* (germ. *vorhaben*): quem (exercitum) . . . maiori quam quod habebat operi praeparabat II 109,2. — Nescio an merito Ruhnk. ad h. l. Graevii emendationem 'quam quod *agebat*' probaverit.

hodieque pro *hodie quoque* Velleius primus usurpavit novem his locis: I 4,2. 3. I 11,3. II 8,3. II 25,4. II 27,5. II 61,3. II 81,2. II 98,1. Boetticher in Lex. Tac. v. *et* atque Drakenb. ad Liv. V 27,1. illud *hodieque* etiam scriptoribus qui aurea aetate linguae latinae vixerunt, in usu fuisse confirmant. Sed si

quis exempla quibus nituntur, diligenter excusserit, perperam allata reperiet omnia. Nam in locis ab illis laudatis *hodieque* aut prorsus non legitur aut valet *et hodie quoque*, velut in Cic. Planc. 36,89: quod Q. Metello laudi datum est hodieque est. — cf. Draeger II² p. 46.

implere censorem II 95,3. 'exquisite dicitur pro . . . *vim et auctoritatem censoris plene praestare* vel *numeros censoris implere.*' Ruhnk. — (cf. Cic. Cluent. 18,51.) — Deinde *implere* 'est *plenissime exponere*, vel, ut alias dicunt, *exhaurire*' Kraus.: laetitiam illius diei . . . vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere temptemus II 103,4.

incrementum absol. de *augmento dignitatis* et *assensu honorum* dicitur (i. q. nos vocabulo externo *Carriere* vocamus): M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit II 34,3. tum Balbus Cornelius . . . illis incrementis fecit viam, quibus . . . in triumphum et pontificatum adsurgeret II 51,3. nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam II 109,4.

inluminare i. s. q. ap. Cic. *inlustrare:* nisi Thebas unum os Pindari inluminaret I 18,3 horum fidem Mytilenaeorum perfidia inluminavit II 18,3. (cf. Cic. fam. I 6, 2.) quod (rerum naturae corpus) ille eloquentia inluminavit II 66,5. (cf. Cic. acad. post. I 1,3.)

instigare in arma: maxime Corinthiis in arma . . . instigantibus I 12,1. (cf. Liv. XXXIII 47,3: Romanos in Hannibalem instigabant.)

instinguere in bellum: instincta in bellum Achaia I 12,1. — (cf. Iust. XII 7,8: exercitus . . . in sacros dei ululatus instinctus).

interpretari v. 2. *agnoscere.*

medius in malam partem idem valet quod *parum constans, incertus:* ita se dubium mediumque partibus

praestitit II 21, 2. — Contra vulgarem rationem *medius* cum duobus genetivis coniunct. legitur II 114, 3: agebatque medium plurima [dissimulantis], aliqua [inhibentis]. Halmius Madvigium secutus invito codice scripsit *dissimulans, inhibens.* — cf. Hor. C. II 19, 28: idem Pacis eras mediusque belli.

meridianus (sc. cardo s. circulus) substant. pro *meridie* dicitur: quidquid meridiano aut septentrione finitur II 126, 3.

notitia sane insolenter usurpatur de rebus a scriptore litteris mandandis et idem fere significat, quod ap. Gell. XVII 21, 1. *conspectus (Übersicht):* statui priorem huius voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in artum contracta distinguere I 14, 1. — Praeter iuris consultos aetate posteriores qui ita locutus sit, reperio neminem.

obniti poetarum vox, qua solutae orationis scriptorum primus Nepos usus esse videtur, a Velleio primo transl. usurpatur pro *reniti:* cum saepe obnitens repugnasset II 89, 5. obnitente vi animi II 123, 1. — Minus circumspecte Georges p. 49. ad hanc signif. traxit tertium Vellei locum, qui est I 9, 6: 'cum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Pauli impedire obniterentur.' Talem enim verbi *obniti* vim ab huius loci sensu prorsus alienam esse ut in oculos incurrit, ita luce clarius est, obniti hic pro *eniti, coniti* dici.

Hac insolenti huius verbi signif. offensus Ruhnk. Heinsii coniecturam *coniterentur* haud improbat. — Sed nec intellegi potest, quare obniti pro *obnitendo studere* usurpari nequeat, nec sine exemplo Velleius ita locutus est. cf. Verg. G. IV 84: *obnixi non cedere.*

observantia, cui voci ap. Cic. semper notio *venerationis*

inest, principali ac propria signif. pro *observatione* usurpatur: eodem mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia classis . . . subvecta II 106, 3.

ordinatio, quod vocabulum primus Vitruvius graecum *τάξις* vertens usurpasse videtur, inde a Velleio saepius dicitur *dispositio* s. *institutio proprie imperatoria:* primum principalium eius operum fuit ordinatio comitiorum II 124, 3.

perpolire usurpatur pro *polire* verbo in opere albario vel tectorio sollemni: inclusit se loco nuper calce harenaque perpolito II 22, 4. — Cic. non nisi transl. hoc verbum usurpavit.

praedicere vocabulum Velleio mire gratum pro *supra memorare* usurpatum his occurrit locis: ut praediximus I 4, 1. I 12, 1. I 15, 4. II 12, 2. II 26,3. II 39,2. II 44, 2. II 66, 1. II 73,3. II 82,3. II 90, 1. II 94, 1. quem praediximus II 11, 1. quem magnificentissimas res . . . gessisse . . . praediximus II 29, 1. quem digressum e Brutianis castris . . . praediximus II 76, 2. quos praediximus II 108, 2. quas praediximus II 1, 2. quae praediximus II 47, 1. II 98, 1. de quo praediximus II 15, 3. de cuius consulatu praediximus II 105, 2. || de cuius || virtutibus . . . praediximus II 125, 5. praedictus II 88, 3. II 107, 1. II 110, 2. II 112, 4.

Ruhnk. sic iam optima aetate dictum esse confirmans ad Vell. II 21, 1. laudat Trog. Pomp. XLIII 14. Sed hoc loco (XLIII 4, 7 Ruehl.) hodie legitur: cum nocte a *praemissis* (*praedictis* ITP) apertae portae forent.

Uno tantummodo loco eadem vi Noster *praescribendi* verbo usus est: ut praescripsimus II 21, 1. Constantem vero Vellei dicendi usum non sufficere

ad haec verba aut delenda ut glossema aut mutanda ad vulgarem locutionem *ut praediximus* — illud Krausius, hoc proposuit Ruhnkenius — non temere mihi persuasi. Itaque omnes qui nuper Nostri libros foras dederunt, quamquam *praescribere* pro *ante scribere* nec latinum esse videtur neque apud alium quemquam invenitur, codicis lectionem ut genuinam retinuerunt.

In transitu illud commemoro, Barthium insolenti harum vocum usu reprehensionem suam confirmantem Velleio castrense dicendi genus attribuere. (cf. Barth. ad Stat. Achill. II 146. (t. III. p. 1724) et Advers. XVI. 7. p. 833. ed. Francof. 1624.)

praeruptus transl. usurpatur: praeruptum atque anceps periculum II 2, 2. Ap. Cic. Sex. Rosc. 24, 68 nonnulli omnibus invitis codd., sola ed. Venetae a. 1472. nisi auctoritate, legunt *praerupta audacia.*

praescribere v. *praedicere.*

principalis a Velleio primo usurpatur de rebus, quae principis s. imperatoris sunt vel ad eum pertinent: neque illi tanto viro (C. Julio Caesari) . . . principalis quies contigit II 56, 3. ministeria principalia II 93, 2. principalia opera II 124, 3. principalia onera II 127, 3. — Massilia . . . principalium armorum (i. e. Caesaris et Pompei) arbitria captans II 50, 3.

pronus alcui per transl. de *studio* ac *facilitate* accipiendus est: Rhodii . . . proniores regis partibus fuisse visi sunt I 9, 2. — Absol. ponitur II 69, 6: quos aut pronior fortuna comitata sit.

Pythius insolenti ellipsi substant. pro *deo Pythio* ponitur: cum Lacedaemonii gravi bello Atticos premerent respondissetque Pythius I 2, 1. — Qui ante Velleium ita locutus sit, reperio neminem, qui post eum, solum

Stat. Theb. IV 289. (ed. Mueller): 'et rapidus Clitor et qui tibi, Pythie, Ladon Paene socer'.

quies i. s. q. *somnium:* Artorio medico manifesta denuntiatione quietis perterrito II 70, 1.

recidere per transl. i. s. q. *artare* (cf. 4. *artare*): huius tam recisi (operis) II 89, 1.

refrigerare: Plancus . . . refrigeratus ab Antonio ob manifestarum rapinarum indicia II 83, 2. — Quod verbum h. l. nihil aliud significare potest quam *frigide tractare,* ut iam Gesnerus et Lipsius interpretati sunt.

relegare insolentius i. s. q. *transferre:* invidia communis potentiae in illum relegata II 44, 2. invidiam in auctorem relegabat II 64, 2. (cf. Cic. Sest. 38, 82: *transferre invidiam in alqm*). — Similiter Liv. II 28, 2. dixit *invidiam reicere ad alqm.*

revolare transl. usurpatur de hominibus: revolat ad patrem Caesar II 120, 1. ille (Tiberius) ad patrem patriae . . . revolavit II 123, 1. — Similiter optimi scriptores saepissime *advolare* de hominibus dicunt. — Diversam esse rationem illius loci, quem Georges p. 43. attulit ex Ov. M. VII 684: '(telum) *revolat*' in oculos incurrit. — cf. 3. *circumvolare.*

scriptura i. q. *inscriptio*: equestri statua, quae . . . aetatem eius scriptura indicat II 61, 3. — cf. Val. Max. I 1, 12. — v. 5. *scriptura.*

securitas quam vocem Cic. *vacuitatem aegritudinis* (Tusc. V 14, 42) s. *animi tranquillitatem* (fin. V 8, 23) interpretatus non nisi in bonam partem usurpavit, in malam pro *neglegentia* dicitur: frequentissimum initium esse calamitatis securitatem II 118, 2. — Tum *securitas* obiective eum statum significat, in quo quis tutus est: rediit . . . securitas hominibus II 89, 4. securitatis urbanae custodem II 98, 1. Asiae

securitatem reddidit II 98, 2. spemque conceptam perpetuae securitatis II 103, 4. in tutelam securitatis suae II 128, 4.

seditionem creare: seditione, sed quam dux creaverat II 20, 1. — Quam loquendi rationem ferri posse, licet hoc uno tantummodo loco reperiatur, nec opus esse ulla mutatione, Kritzius in Zimmerm. Annal. stud. antiq. a. 1837 no. 11 p. 101 demonstrat commode monens, *seditionem creare* recte dici ad analogiam locutionum similium ut *creare periculum, lites, odium* etc. — cf. tamen Ruhnk. ad h. l.

spiritus concreto sensu ponitur (velim addas Draeg. I² p. 22): Augustus . . . subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus II 123, 2.

statio per transl. dicitur *imperium principis* s. *principatus*: pugnantis cum Caesare senatus populique Romani, ut stationi paternae succederet II 124, 2. — Sic saepius locuti sunt scriptores hist. aug.

status praegnanti sensu *certam vitae condicionem* significat tam privatam quam publicam: omnibus ‖*statum*‖ (*factum* A) concupiscentibus II 2, 3. nullum habentibus statum (proscripti dicuntur) II 72, 5. cf. Tac. ann. III 28: multorumque excisi status.

sterilis transl. signif. cum genetivo coniungitur: urbes . . . talium studiorum fuere steriles I 18, 3.

sterilitas pro *inopia* usurpatur: sterilitate frugum compulsi sortiti sunt, uter . . . decederet I 1, 4. — Haud inopportune Krausius contulit Col. II 10, 1: sterilitas annonae. Non incommodum arbitror, ad illustrandam hanc ἀκυρολογίαν, ut ita dicam, laudare Cic. har. resp. 14, 31: in hac caritate annonae, sterilitate agrorum, inopia frugum.

transcendere pro eo ponitur, quod ap. optimos scriptores est *transire*: ut ad maiora transcendam II 130, 3.

transgredi i. s. q. *praeterire*: nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet II 108,2. — Val. Max. IV 7 Ext. 2: 'ego vero . . . constantis et benignae amicitiae exempla sine ulla eius mentione transgressus etc.' — cf. 5 *transgredi*.

tributarius i. q. *stipendiarius* (germ. *steuerpflichtig*): Asiam . . . M. Perpenna . . . fecit tributariam II 38, 5. — Ap. Cic. (Verr. IV 66, 148) *tributarius* dicitur de tabulis ad tributum pertinentibus.

tumultuari rarissima usurpatur significatione: dum inter ducem et supplicem tumultuatur et nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur II 79,5. — 'Exquisite pro, *dum per animi perturbationem inter ducem et supplicem fluctuat,* ut Sen. Ep. 4 (I 4, 5) loquitur, *dum incertus est, ducem agat an supplicem. Tumultus* saepe dicitur de animi motu.' Ruhnk.

umbra insolenter et sine exemplo dicitur pro *obscuratione:* neque enim persona umbram actae rei capit II 68,1. 'De sensu accesserim Gesnero Thes. L. L. v. *Umbra* sic interpretanti: non talis est persona Caelius, ut taceri eius acta possint.' Ruhnk.

vexillarius: magnus vexillariorum numerus ad internecionem . . . caesus II 110,6. — A Livio (VIII 8,4. XXXV 5,12), qui hoc vocabulum primus usurpasse videtur, *vexillarius* dicitur signifer. De nova huius vocis potestate, quae ap. Vell. primum obvia est, disputat Marquardt. Roem. St. V. II^2 p. 463 sq. cuius verba adscribere liceat: 'Nach der durch August eingeführten Praxis wurden die Soldaten der Legion, wenn sie nach zwanzigjährigem Dienste ihre Entlassung erhielten . . . fürs erste zur Disposition gestellt. Sie traten zwar aus der Legion aus, wurden ihres Schwures entbunden (exauctorati) und hörten auf, unter dem Befehle des legatus legionis zu stehen,

blieben aber unter dem vexillum, unter welchem sie in die ihnen bestimmte Colonie abgeführt werden sollten, vorläufig vereinigt, und heissen von ihm in besonderem Sinne vexillarii.'

vindicare se ab alqo de *ultione* accipiendum est: quin etiam se a Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit I 1,3.

Insolenter et sine exemplo *vindicare* pro *resarcire* dicitur: non civium tantummodo, sed urbium damna principis munificentia vindicat II 126,4. Quam inusitatiorem huius vocis notionem non cum Kritzio repetitam esse puto ab ea, qua verbum valet *defendere, arcere, liberare*, sed potius a naturali ac principali vocabuli significatione, quae est *rem ut debitam sibi postulare.* Eadem fere translatione nos dicere solemus '*eines anderen Verlust für seine Sache ansehen*'.

vindicta (cf. 5 *vindicta*) i. s. q. *poena*, *ultio*: visa ultio privato odio magis quam publicae vindictae data II 7,6. consularem . . . vindictam minatus est II 92,3. admonitio frequens, interdum et castigatio, vindicta tamen rarissima II 114,3. — Minus recte Georges in lex. lat.[7] ad hanc signif. traxit Ov. Pont. IV 6,33.

3. Vocabula quae Velleius a poetis, in primis a Vergilio, Horatio, Ovidio repetivit.[1])

acanthus ἄκανθος: quinque egit triumphos: Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho . . . constitit II 56,2. cf. Ladewig. Verg. I[7] p. 17.

† *accendere* pro *incendere* usurpatur *incitandi, excitandi, augendi* significatione: admiratio imitationem accendit

1) Voces hoc signo † notatas inserendas putavi huic verborum generi, quamquam a Velleio non primo sed praeeunte Livio in prosa oratione usurpata sunt.

I 17,6. accensas plebis . . . dissensiones II 121,1. ad consequendos quos priores ducimus, accendimur I 17,7. nationibus in arma accensis II 98,1.

adserere absol. positum i. s. q. *vindicare*: adserebant salutaria rei publicae terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis II 60,1. — Ov. Met. I 462. Val. Max. IV 4,4.

adstruere apud Caes. C. II 9,2., qui hoc verbum novasse videtur, propria signif. legitur; transl. usurpatur a Nostro praeeunte Ovidio (a. a. II 119): ut Livium quoque priorum aetati adstruas II 17,2. victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriae eius adstruxit II 55,2.

adsuescere pro *adsuefacere*: aedificandis navibus contrahendoque militi ac remigi navalibusque adsuescendo certaminibus . . . praefectus est M. Agrippa II 79,1. — Hor. S. II 2,109 (ibid. I 4,105: insuevit pater optimus hoc me). cf. etiam Verg. Aen. VI 833: ne tanta animis adsuescite bella.

† *agere alqm reum*: P. Clodius . . . actus incesti reus II 45,1. — Liv. XXIV 25,1. (Georges p. 44 pro hac locutione affert Liv. XLV 37,8; sed merito M. Hertz. ibi scripsit: apud contionem togatam et urbanam prius *res* agatur). Ov. Met. XV 36: Spretarumque agitur legum reus. — Sollemnis hac in re formula, quae sola ap. Cic. reperitur, est *facere alqm reum*.

† *alloquium*: Augustus . . . subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus II 123,2.

ambire i. s. q. *circumdare*: quae (aedes) nunc Octaviae porticibus ambiuntur I 11,3. in insula, quam amnis Euphrates ambiebat II 101,1. — Similia exhibent poetae. — Tac. hist. V 12: ipsae porticus, quis templum ambibatur.

Augustus adj. ab imperatorum cognomine quod est *Augustus* derivatum: pax Augusta omnis terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes II 126, 3. Ov. Pont. II 5, 17: Vix hac invenies totum, mihi crede, per orbem, Quae minus Augusta pace fruatur humus.

† *auspicia* per transl. i. s. q. *imperium*: eius ductu auspiciisque infractae (Galliae) II 39, 1. oppressus auspiciis Pompei . . . Mithridates II 40, 1. bellum Africum . . . auspiciis consiliisque eius . . . sepultum est II 129, 4. — Liv. VIII 31, 1: cuius ductu auspicioque.

autumare i. q. *dicere*: Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant I 6, 4. — Cat. 44, 2. Hor. S. II 3, 45. — In errore autem versatur Georges p. 41 ita disputans: '*autumare* non solum pro *aestimare, censere* dicitur, qua significatione exstat apud Plautum Terentiumque etc.' Immo diligenter Plauti comoedias perscrutatus contendere ausim, ex multis illis locis, quibus hoc verbum legitur quosque hic enumerare supersedeo, non unum inveniri, quo *autumare* non ex naturali ac principali notione (*aitumo*) interpretandum sit *affirmare, dicere, profiteri*. Ad Terentium deinde quod attinet, is hoc vocabulo non usus est quod sciam nisi Heaut. pr. 19: id esse factum hic non negat, Neque se pigere et deinde facturum autumat.

candor transl. de indole usurpatur: iustus sine mendacio candor II 116, 5. — Ov.

capax transl. signif. poetarum more cum gen. coniungitur: capax recta discendi ingenium II 29, 5. fortunaeque, in quam alebatur, capax II 93, 1. ipsum vero laboris ac fidei capacissimum II 127, 3. — Haec vox in Caesaris libris omnino non legitur, a Cicerone semel et absol. usurpatur or. 29, 104: 'ita sunt avi-

dae et capaces (aures)', ut a Nostro I 16,2: 'cuiusque clari operis capacia ingenia;' nam h. l. genetivum non ab adiectivo *capacia* pendere, ipse Velleius ostendit I 17,4. eandem rem his exprimens verbis: eminentiam cuiusque operis.

† *cavare:* cavatum . . . ex materia conscendit alveum II 107,1. — Varro, Liv. — cf. et corrige Ladew.[7] ad Verg. Aen. II 481.

censura i. s. q. iudicium: vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est II 36,3. — Ov. rem. am. 362: Quorum censurâ Musa proterva mea est.

† *ciere sonum* I 4,1. *ciere bellum* II 54,2. II 75,1. II 129,3. armatus (*armatos* Gelenius) ‖ac‖ (*ad* AP) pugnam ciens II 6,6. — Quas locutiones Vergilio et Livio usitatissimas frustra in Ciceronis scriptis quaerimus. Apud Caesarem verbum *ciere* omnino non invenitur. — cf. Ladew.[7] ad Verg. Aen. I 541.

circumvolare Velleius ut primus solutae orationis scriptorum usurpavit, ita solus quantum scio transl. dixit de hominibus: circumvolans ordines exercitus sui Telesinus II 27,2. — Similiter Lucr. II 329: circumvolitant equites. — cf. 2. revolare.

† *cognominis* adj. i. q. eiusdem nominis: cognominem patriae suae Salamina constituit I 1,1. — Plaut. — Verg. Aen. VI 383: gaudet cognomine terra (sed Ribbeckius optimos codd. secutus recte scripsit: *cognomine terrae;* — cf. etiam Neue II[2] p. 31 sq. et Buecheler. lat. decl. p. 51). Liv. V 34,9: cognomine Insubribus pago Haeduorum.

commilitium: adsuetus commilitio prudentissimi ducis II 29,5. — Ov. Pont. II 5,72.

compescere: furorem consul armis compescuit II 12,6.

‖*conlidi*‖ de mutuo adversariorum concursu usurpatur: conlisa (*consilio* AP) inter se duo rei publicae capita

II 52, 3. — Hor. Epl. I 2, 7: Graecia barbariae lento collisa duello. — 'Graeci centies ita dicunt συγκρούειν.' Ruhnk.

† *conspicuus:* virtutem M. Catonis iam multis in rebus conspicuam atque praenitentem II 35, 1. — Liv. I 34, 11.

† *cultus* i. q. *vestis*: deposita veste regia pastoralem cultum induit I 2, 1. — II 40, 4. II 107, 1.

† *debellare:* debellatum est apud Actium II 84, 1. — cf. Ladew.[7] ad Verg. Aen. V 731.

deflere est *cum fletu enarrare:* ordinem atrocissimae calamitatis . . . conabimur exponere: nunc summa deflenda est II 119, 1. — Verg. Aen. XI 59.

depudet pro *pudet* usurpatur: cum eum non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus II 73, 3. — Georges p. 42 cum omnibus lexicographis nescio quam elegantiam in Vellei verbis suspicatus *depudet* h. l. dici pro *valde pudet* affirmat. — Contraria signif. *depudet* exstat Ov. Her. 4, 155 et Sen. const. sap. 17, 13.

† *disicere* transl. signif. legitur: sic cogitationem regiam Romana disiecit constantia I 10, 2. — Verg. Aen. VII 339: disice compositam pacem. Liv. XXV 24, 3: consilia ducis . . . clamor militum . . . disiecit.

dos i. q. *bonum, virtus:* omnibus belli ac togae dotibus I 12, 3.

† *durare* i. s. q. *permanere:* adeo odium . . . ultra metum durat I 12, 7. in tantum duravit odium II 79, 6. illis in longum . . . fortissime pugnandi duravit constantia II 85, 4. — Liv. I 9, 2: hominis aetatem duratura magnitudo erat.

eloquium: M. Caelius vir eloquio animoque Curioni simillimus II 68, 1.

† ‖*eluctari*‖: odium clementia eluctatus (*diu luctatus* A P)

sua Caesar servavit incolumem (Sosium) II 86, 2. — Liv. XXIV 26, 13.

† *emicare* verbum poetis usitatissimum, quod inde a Livio in prosa oratione occurrit, Velleius his usurpavit locis: plurimo . . . igne emicans incendium militaris tumultus II 125,4. qua cor emicat II 70,5. — Plaut. Aul. IV 3, 4 (619 W. Wagner): cor coepit . . . emicare.

† *eniti* pro *parere* usurpatur: quem intra Caesaris penates enixa erat Livia II 95,1. M. Agrippa, quem . . . Julia enixa erat II 104, 1. — Liv. XL 4, 4. — cf. Kvićala, Neue Beiträge zur Erklärung der Aen. (Prag. 1881) p. 52 sq.

eruere pro *diruere* dicitur: L. Mummius Corinthum . . . funditus eruit I 13, 1. Telesinus . . . vociferabatur eruendam delendamque urbem II 27, 2. eruta Carthagine II 38, 2. — Verg. — Apud prosae orationis scriptores Velleio aetate superiores *eruere* aut proprie est *evellere, eripere* aut transl. *in lucem proferre.*

evehere pro *perducere* (Cic. am. 20,73. Caes. G. VII 39, 1) dicitur: quem usque in tertium consulatum . . . amicitia principis evexerat II 90,1. (Eadem signif. usurpatur *provehere*: a quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat II 69, 1. qui . . . Sp. Carvilium et mox M. Catonem . . . in consulatus, censuras et triumphos provexere II 128, 2. — cf. Hor. C. III 4,66.) — Sic *evehi* a Velleio dicuntur, qui in amplissimos honores ascendunt: quominus ad multiplicis consulatus triumphosque et complura ‖ eveherentur ‖ (*enumerentur* M A) sacerdotia II 127,1. in summum fastigium evehi II 30,3. II 56,3. evectae in altissimum paternumque fastigium imaginis II 116,4. viri in id evecti, super quod ascendi non potest II 53,3. Accii

usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti II 9, 3.

evehi super i. s. q. saepissime ap. Vell. *excedere*: munificentiaque super humanam evecta fidem II 130,1. animo super humanam et naturam et fidem evectus II 41, 1 (cf. Tac. ann. XIV 52: ingentes et privatum modum evectas opes).

experientia, quam vocem optimi scriptores non nisi eadem signif. qua *experimentum* usurpaverunt, ap. Vell. est *scientia et cognitio experimentis comparata*: exercitus manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps II 119,2. cl. II 78,2 et II 110,6. — cf. Ladew.[7] ad Verg. G. I 4.

exsomnis: vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis II 88, 2. virum . . . animo exsomnem II 127,4.

† *extendere* i. q. *propagare*: extentumque vitae spatium I 11, 6 (Hor. C. II 2, 5: vivet extento Proculeius aevo). extendebat eam (civitatem) paene usque Alpis II 6, 3.

fragmen i. s. q. ap. Cic. (Sest. 37, 79). *fragmentum*: fragmine subsellii ictus II 3, 2.

† *fulgor* ap. Vell. primum saepius transl. exstat significatione: fulgore carminum I 5, 1. vitam . . ., quae . . . avito fulgore vinceretur II 4, 6. exercitus . . . ipsius adventus . . . fulgore occupatus II 50, 4. ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis II 99, 2. — Hor. Epl. II 1, 13. Ov. Trist. V 12, 39. Liv. XXI 43, 12.

funebris i. s. q. *funestus*: auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam rei publicae . . . inritando necem II 66, 3. — Hor. Epl. I 19,49. Ov.

fungi his in locutionibus liberiore poetarum more usurpatur: morte f. II 49, 1. longissima statione mortali

f. II 131, 2. duplici numero militum equitumque f. (germ. *stellen)* II 15,2.

Graius adj.: clarissimus Grai nominis I 6, 3. (Nep. XXIII 3,4.)

† *gravis* latiore signif. pro *languenti* dicitur: Cn. Pompeius || gravis || (*gravi* A) vulnere II 55, 4. gravis iam aetate et corpore II 76,1. — Liv. XXI 48,4. XXXVI 20,5. (gravis vulnere). id. II 19,6 (gravis aetate).

hirtus per transl. ad indolem refertur: C. Marius . . . hirtus atque horridus vitaque sanctus II 11,1. — cf. Hor. Epl. I 3,22.

Iliacus: Iliaca componentes tempora I 3, 2. (Cic. Mur. 37,78: equus Troianus. id. Brut. 10,40: Troicis temporibus).

† *immiscere*: immixtusque castris hostium . . . interemptus est I 2,1. — Quae vox a Lucretio primo, ut videtur, usurpata et poetis, in primis Vergilio haud infrequens inde a Livio in soluta oratione nobis occurrit.

† *immotus* vox a Vergilio nova facta: nihil immotum . . . relinquebat II 6,3. — Vitr. — cf. Ladew.[7] Verg. I p. 73.

immunis latiore signif. ut ap. poetas usurpatur pro *experti, vacuo,* crebro variante constructione: iuvenis . . . immunis paternorum delictorum II 7, 2. omnibus humanis vitiis immunis II 35,2. vir cetera sanctissimus immunisque voluptatibus II 46, 2. per gentis integras immunesque adhuc clade belli II 115, 2 exercitum immunem tanta calamitate servavit II 120, 3. immunisque ab omnibus arbitris II 14, 3. omnis terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes II 126, 3. — Deinde *immunis* absol. i. s. q. *liber*, *non impeditus*: cum ne pugnandi quidem . . . occasio iis . . . data esset immunis II 119,2.

(Cic. liberam potestatem dare. Caes.: liberam facultatem dare).

impatiens: Marius . . . quietis impatientissimus II 23,1. — Verg. Ov.

imputare i. q. *tribuere*: si quis hoc rebellandi tempus ... imputat Atheniensibus II 23,4. — Ov.

in tantum, in quantum Velleio poetas (Verg. Aen. VI 876. Ov. Met. XI 71.) secuto frequentissimum est pro *tantum, quantum* (quod tamen legitur II 11,1: quantum bello optimus, tantum pace pessimus). Habes *in tantum* I 13,5. *in tantum* sequente ut particula II 30,6. II 53,3. II 79,6. II 90,3. II 91,3. *in quantum* II 8,1. II 119,2. II 120,3. *in tantum — in quantum* I 9,3. II 43,4. *in quantum — in tantum* II 114,5. Hanc locutionem etiam Livio usitatam esse dicit Fritschius l. l. p. 14, etsi neque locum ullum attulit neque forte afferre potuit. Certe Liv. XXII 27,4, quem unum locum Ruhnk. ad Vell. I 9,3 *in tantum* Livio vindicans laudavit, hodie legitur *tantum*.

† *incingere*: incinctos Hercynia silva campos incolebat II 108,1. — Liv. VIII 9,9. X 7,3. cl. Verg. Aen. VII 612.

ineluctabilis vox rarissima a Vergilio novata (cf. Ladew.[7] ad Verg. Aen. II 324): ineluctabilis fatorum vis II 57,3. — Verg. Aen. VIII 334: ineluctabile fatum.

inritus ad ipsos homines refertur: Iuventius Laterensis . . . inritus consilii gladio se ipse transfixit II 63,2. — Verg. Aen. V 442. Tib. II 3, 22. Ov. Fast.II 375.

interritus: (Cassius) cervicem interritus liberto praebuit II 70,2.

† *iuventa:* M. Lollii, quem veluti moderatorem iuventae filii sui Augustus esse voluerat II 102,1 (cf. Mart. II 90,1). quibus iuventam eius exaggeravit honori-

bus II 129, 2. — cf. Ladew.^{7} ad Verg. Aen. V 398. — *iuventus* omnibus quibus exstat locis (I 4, 3. II 1, 4. II 27, 1. II 106, 1. II 107, 1. II 114, 4) concreto sensu usurpatur.

lima de *studio* dicitur *auctoris scripta emendandi ac perpoliendi:* ut in illis limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis II 9, 3. — Hor. Epl. II 3, 291. Ov. — *limare* eadem translatione Ciceroni haud infrequens est.

manum ultimam imponere bello: II 33, 1. II 87, 1. II 88, 1. II 117, 1. — Verg. Aen. VII 572: extremam Saturnia bello Imponit regina manum. Ov. Met. XIII 403: Inposita est sero tandem manus ultima bello. ibid. VIII 200. (Cic. Brut. 33, 126: manus extrema non accessit operibus eius.)

† *marcere*: vigebat in hac parte miles atque imperator, in illa marcebant omnia II 84, 1.

† *mergere,* quo verbo classici scriptores nisi propria signif. non usi sunt, poetis et Livio praeeuntibus transl. usurpatur: omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus II 91, 3.

† *ministerium,* quod vocabulum Liv. a poetis desumpsisse videtur, a Velleio *quaelibet curatio publica* dicitur: Cyprus . . . ministerio Catonis provincia facta est II 38, 6. sub honorificentissimo ministerii titulo II 45, 4. sub specie ministeriorum principalium II 93, 2. speciosi ‖ministerii‖ (*ministri* AP) locum II 111, 3. splendidissimis functus ministeriis II 116, 3. ministeria II 127, 2 (loco foede corrupto).

miscere se i. s. q. I 2, 1. *immisceri*: cum . . . partibus eius se miscuisset II 86, 3 (cf. Sall. Iug. 102, 5).

moliri i. q. *aedificare, exstruere* I 11, 5. ‖I 15, 3.‖ II 1, 2. II 8, 3. II 130, 1. — Hac signif. verbum apud Verg. primum invenitur.

† *mulcere*: quique gladiis domari non poterant, posse iure mulceri II 117, 3. — Liv. XXV 37, 10.

munera dicuntur *aedificia* privatorum sumptibus in usum publicum exstructa: Pompei munera absumpta igni restituit II 130, 1. perfectis muneribus theatri et aliorum operum quae ei circumdedit II 48, 2. — Ov. a. a. I 69 (cf. tamen Cic. Tusc. I 28, 70: moderator tanti operis et muneris).

narrare alqm: sed operis modus paucis eum narrari iubet II 29, 2. — Quae structura etiam antiquissimis poetis satis usitata pedestris orationis scriptorum apud Velleium primum reperitur. Neque tamen hanc idoneam esse causam, cur *eum* mutetur in *eam* — id quod Kritzius fecit, Halmius facere se malle confitetur — quisquis quantopere Noster delectatus sit poetarum verbis et sententiis, perspexerit, intelleget.

† *obire* absol. ponitur pro *mortem obire* II 47, 2. II 59, 2. II 102, 1. — Hor. Liv. V 39, 13. — obire voluntaria morte II 87, 3. — morbo obire II 102, 4.

† ‖*obsitus*‖ i. s. q. *obductus, obrutus*: sepultae ac situ obsitae (*oppositae* M A P) iustitia, aequitas, industria II 126, 2.

orbis absol. ponitur pro *orbe terrarum* s. *terrae*: I 2, 3. II 31, 2. II 46, 1. II 124, 1.

pacta subst. i. q. *sponsa* v. p. 48.

penetrare poetarum more cum acc. iunctum non de terris tantum sed etiam de gentibus dicitur: penetratis omnibus Hispaniae gentibus II 5, 1. penetratae cum victoria Media, Albania, Hiberia II 40, 1. bis penetrata Germania II 47, 1. penetrata ulteriora II 105, 1. — Lucr. Verg. Hor.

† *pernix*: quattuor et viginti milibus iuvenum coactis, velocitate pernicibus II 34, 1.

praenitere proprie usurpatur: titulis forum eius (Augusti)

praenitet II 39, 2. translate: virtutem M. Catonis ... praenitentem I 35, 1. — Hor. C. I 33, 4.

praesagium pro eo, quod ap. Cic. est *praesagitio*: cum quidem plurima ei praesagia atque indicia dii immortales futuri obtulissent periculi II 57, 1.

† *praevalidus* vox a Vergilio novata (cf. Ladew.[7] ad Verg. G. II 190): praevalidis legionibus II 69, 2.

procumbere transl. de rebus dicitur: fluentem procumbentemque rem populi Romani II 16, 4. — Ov. Trist. III 4, 2: res postquam procubuere meae. id rem. 118.

propositum est *vitae ratio et institutio*: vir . . . ingenio florentissimus, proposito sanctissimus II 2, 2. — Hor. — cf. Wagener in Philol. Anzeig. IX. (1878) p. 194.

provehere v. *evehere*.

quaeritare, quod verbum ab antiquissimis poetis persaepe usurpatum praeter unum Catullum (55, 32) ne poetae quidem aureae aetatis in libros suos admiserunt, solutae orationis scriptorum Velleius primus in usum suum convertit: magna vis Graecae iuventutis . . . sedes quaeritans I 4, 3.

rapere praegn. sensu usurpatur pro *consumere* (germ. *dahinraffen*): sed illum . . . fatorum iniquitas . . . rapuit II 97, 3.

raptor adj.: raptores Italicae libertatis lupos II 27, 2. — Verg. Aen. II 355 et Ov. Met. X 540: lupi raptores. — '*Lupi* proprie *raptores* dicuntur, ut apud Graecos λύκοι ἅρπαγες.' Ruhnk.

rasilis: apparatus . . . Hispaniensis (triumphi) argento rasili constitit II 56, 2.

rebellis: Dalmatia annos viginti et ducentos rebellis II 90, 1. — cf. et corrige Ladew.[7] ad Verg. Aen. VI 858.

recensere vox a Ciceronis usu aliena, quam semel Caes. b. G. VII 76, 3, saepius Livius propria usurpavit

signif., valet (*narrantem) persequi*: Sed proposita quasi universa principatus . . . forma singula recenseamus II 129,1. Ov.

refovere, quod verbum Ovidius novasse videtur, inde a Velleio saepius in prosa oratione invenitur: vires refovendae I 15,1. ad refovendas ex itinere . . . vires II 113,2.

refulgere vox poetarum, qua Liv. semel (VII 10,7) et quidem proprie usus est, transl. usurpatur: tum refulsit certa spes II 103,5. — Prop. IV 19,8. L. Mueller. — cf. 4. *adfulgere*.

† *regimen*: classis Antonii regimen Publicolae Sosioque commissum II 85,2. — Ap. Ov. (Met. III 593. XI 552.) *regimen* pro *gubernaculo* sensu proprio usurpatur.

reluctari: deinde reluctatus invitusque revertens in Italiam II 102,3.

rependere alqd alqa re saepissime a poetis usurpatur transl. (cf. tamen Hor. C. III 5,25: auso repensus . . miles); proprie a Velleio dicitur: idque (caput Gracchi) auro repensurum proposuit II 6,5. — Cic. de or. II 67,269. in eadem narranda: cui pro Gracchi capite erat aurum repensum.

† *resolvere*: Augustus . . . in sua resolutus initia . . . animam caelestem caelo reddidit II 123,2. (De loquendi ratione cf. Lucr. I 57. Verg. G. IV 225.) — In Cic. Phil. XIV 14,38, quem locum Hudem. in Klotzii lex. lat. affert, hodie legitur *soluturum*, non *resoluturum*.

† *resurgere* transl. exstat signif.: vix crediderim, tam mature tantam urbem . . . resurrexisse I 7,4. novi ac resurrecturi belli II 88,3. — Liv. XXIV 45,3.

† *saevire in alqm.* poetis et Livio praeeuntibus Velleius

frequentavit: I 10,4. II 7,4. II 13,2 ‖II 82,1‖. — Imperson. II 22,1. II 28,4. II 74,4. II 120,6.

† *sanguis* i. s. q. *progenies*: quae vox magna parte eum spoliavit sanguinis sui I 10,5.

† *rudimentum*: imbutumque (Germanicum) rudimentis militiae II 129,2.

† *secundus* i. s. q. *inferior*: Q. Metellum nulli secundum saeculi sui II 11,1. vir nulli secundus II 76,1. — Liv. XXIII 10,7.

signare i. q. *testari*: quali adiutore . . . fratre meo usus sit . . . honorum, quibus triumphans eum Caesar donavit, signat memoria II 115,1. *signare stilo* pro eo dicitur, quod est ap. Cic. *mandare scripto*: quin rem saepe agitatam animo meo . . . signem stilo I 16,1. — Similia exhibent poetae.

situs, quod vocabulum optimi scriptores nisi de *locorum condicione et natura* non usurpaverunt, de *rebus oblivione obrutis* dicitur: sepultaque ac situ obsitae iustitia, aequitas, industria II 126, 2.

† *successus* quae vox in Cic. libris omnino non, semel ap. Caes. (G. II 20,2) propria legitur signif., translata usurpatur: ex successu animum sumpsit II 17,3.

superi non, ut fere fit, *di* dicuntur, sed *homines viventes*: quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos II 48,2. — Verg. Aen. VI 481. 680. 780 (cf. Ladew.[7] ad postremum hunc locum). — 'Sic apud Graecos οἱ ἄνω.' Ruhnk.

tenax alcjs rei transl. signif. usurpatur: hic . . . amicitiarum tenax II 29, 3. Dellius exempli sui tenax II 84,2. — Falso Georges l. l. p. 28 hunc adiectivi usum Livio tribuit.

thyrsus θύρσος: (Antonius) thyrsum tenens cothurnisque succinctus . . . velut Liber pater II 82,4.

tractus Lucretio (I 1004 cl. V 1214) praeeunte de *tem-*

pore usurpatur: hoc tractu temporum I 6,4. II 78,1. II 94,1. huius temporis tractu I 7,2. eodem temporum tractu I 15,3. II 9,1. II 10,2. — (tractus de regione dicitur: I 2,3. II 69,2. II 94,4. II 104,3. II 110,2. II 126,3.)

transire per transl. i. s. q. *verti, mutari*: ut casus in culpam transeat II 118,4. — Ov.

† *triumphalis* is dicitur, *qui triumphum egit*: Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum II 6, 4. — Ov. Fast. VI 364 triumphales senes. Liv. V 39,13: senes triumphales consularesque.

tumescere, quod verbum solutae orationis scriptorum primus Vitr. VIII 7, 5 = 208, 20 Rose. et quidem proprie usurpavit, transl. ponitur: tumescens bellum II 15,1. — Verg. G. I 465: operta tumescere bella. (Ov. Her. VII 121: bella tument.)

† *ultimus* i. q. *vilissimus, infimus*: qui se Philippum regiaeque stirpis ferebat, cum esset ultimae I 10, 1. — Hor. Epl. I 17,35.

† *urere* transl. ponitur pro *urgere*: populi, quem gravis urebat . . . annona II 77,1.

vacat impers. sequente inf.: vacavit Romanis colonias condere I 15,1. neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque cui vacat potest II 124,1.

† *velare* latiore signif. pro *ornare* dicitur: cum se insignibus honorum velasset II 71, 3. coronaque velatus aurea II 82,4. — Ov. Pont. IV 14,55.

† *vigor* poetarum vox Ciceroni et Caesari non usitata Velleio in deliciis est: vigor eloquentiae I 10, 3. vigor ingenii atque animi II 18,5. vigor animi II 41,1. II 127,3. ipsiusque adventus vigore II 50,4. mores eius vigore ac lenitate mixtissimos II 98, 3.

4. Vocabula iam a Velleio antiquioribus usurpata quae tamen in Ciceronis Caesaris Hirtii scriptis omnino non inveniuntur.

abolere: cum... censuisset Cassius testamentum Caesaris abolendum II 58, 2. — Hoc vocabulum Livius a Vergilio desumpsisse videtur. — cf. Ladew.[7] ad Verg. Aen. IV 497.

‖ *adfulgere* ‖ transl. usurpatur: unde spes maior adfulsisset (*adfuisset* AP) potentiae II 21,2. — *spes adfulsit* his Livii locis legitur: XXIII 32, 7. XXVII 28, 14. XXXII 19,1. — Propria signif. hoc verbum reperitur Hor. C. IV 5, 7. Ov. Ib. 209. — cf. 3. *refulgere.*

adiutorium: in adiutorium eius belli II 112,4. (? Cic. ap. Col. XII. praef. 1, in ed. C. F. W. Müller. IV 3 p. 308. — Asin. Poll. ap. Suet. gramm. 10.)

advolvi: Lepidus . . . genibus eius advolutus est II 80,4. cl. Liv. XXVIII 34, 4 et Prop. IV 16, 1. — Sall. Hist. i. 92. D. genua patrum advolvuntur.

agilis: virum . . . gnavum agilem providum II 105, 2. — (cf. Cic. Att. I 17, 4: hanc *agilitatem,* ut ita dicam, mollitiamque naturae).

artare transl. signif. usurpatur: artati temporis spatium I 16, 2. adeo artatum angustiis temporum I 16, 5. artata numero felicitas II 10, 3. tam artati operis II 86,1. — Plaut. Capt. 304: Fortuna humana fingit artatque ut lubet. Liv. XLV 36,3.

arundinetum II 19,2. — Scriptores r. r.

auctus: huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit II 40, 4. bellum Africum . . . cotidiano auctu maius II 129,4. — Lucr. Varro Vitr. Liv.

capsus: clausa capso aliove saepto diversi generis animalia I 16,2. '*capsus* est saeptum sudibus factum' Kraus. — Apud Vitr. X 14, 2. 3 = 263,20 et 264,9.

Rose. *capsus* 'ea redae pars est, in qua qui vectantur, sedent'. Forc. — de Vit.

claritudo antiquior substantivi forma (Reis.-Haase § 70) pro *claritate* ponitur: Caeciliae (familiae) notanda claritudo est II 11,3. cum familiae eius claritudo intermissa esset II 17,2. — Cato ap. Gell. III 7,19. Sis. ap. Non. p. 82,5 Q. Sall. Iug. 2,4. 7,4.

classicus: insigne coronae classicae II 81,3. omne classici certaminis arbitrium II 85,2. classicis pedituumque expeditionibus II 121,1. — Prop. II 1,28. Liv.

coalescere transl. usurpatur: coalescentis . . . pacis II 48,5. coalescentibus rei publicae membris, et ‖ coaluere ‖ (*et coram aliero* AP) quae tam longa armorum series laceraverat II 90,1. — Sall. Liv.

‖*coercitio*‖: in coercitione (*coercitionem* M *coertionem* AP) ambitus II 47,3. dissensiones coercitione (*coertione* AP) magis quam poena mollisset II 121,1. — Liv. IV 53,7. XXVI 36,12.

commendabilis: Pomponium . . . inventi a se operis commendabilem II 9,6. — Liv. XXXVII 7,15. XLII 5,5.

confodere: M. Antonius . . . gladiis militum . . . confossus est II 22,3. — Sall. Nep. Liv. Poetae.

consummare est *ad summum perducere* (Cic. leg. I 8,25): nihil felicitate consummari II 89,2. illa aestas maximi belli consummavit effectus II 115,4. consummati tanti operis II 117,1. — Vitr. Liv. Ov.

continuare magistratum: quin alterum etiam continuavit tribunatum II 6,3. continuatis honoribus II 12,6. frustratus spe continuandi consulatus II 21,2. consulatus tantummodo usque ad undecimum quin continuaret II 89,5. ut ei (aedilitati) praeturam continuaret II 91,3. (cf. Kritz. ad h. l.) — Sall. Iug. 37,2. Liv.

cultellus: (Drusus) cultello percussus II 14, 1. — Varro Vitr. Hor.

demerere: virum demerendis hominibus genitum II 102,1. — Plaut. Ov. Liv.

deses vox ante Livium non obvia (Kuehnast.[2] p. 340): ut eum . . . luxuriosum aut desidem diceres II 105,2.

efficax: ludicrum certamen et ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimum I 8, 3.

elanguescere, quod verbum Livius finxisse videtur: (ut) viribus hostis elanguesceret II 111, 4.

excidium i. s. q. ap. Cic. *disturbatio*, *eversio*: urbium excidio II 4, 3. plurimo cum earum (gentium) excidio II 98, 2. partibus suis excidium auctoravit II 30, 1. — Haec vox Vergilio usitatissima apud Sallustium primum invenitur. — Verbum *excindere* (recte sic Halmius scripsit I 12, 2 contra codicis auctoritatem; cf. quae luculenter de hoc vocabulo disputavit G. Lahmeyer in Philol. a. 1879 XXXVIII p. 150—159) pro *delere*, *diruere*, quo Noster delectatus est, etiam ap. Cic. occurrit.

exspirare pro *mori* usurpatur: II 7, 2. II 70, 5. II 120,6. — Verg. Hor. Ep. 5, 91. Sall. Hist. I 30. D. Liv. cf. Ladew.[7] ad Verg. Aen. I 44.

facundia II 22, 3;

facundus: homo facundus malo publico II 48, 3. — Haec vocabula a Ciceronis et Caesaris usu aliena inde a Sallustio, qui ea ab antiquissimis poetis (Plaut. Capt. 965. id. Trin. 380. Ter. Heaut. pr. 13) desumpsisse videtur, ut in soluta ita in vincta oratione frequentari coepta sunt.

fulgens transl. usurpatur: fulgentissimum C. Caesaris opus II 39, 1. fulgentissimo et caelestissimo ore II 64, 3. Messala fulgentissimus iuvenis II 71, 1. — Hor. C. III 16, 31. Liv. XXVI 22, 13. — Georgem

p. 24 suspicantem, huius adiectivi superlativam formam tantum exstare, remitto ad II 106, 1: fulgenti armatoque agmine.

honorare alqm s. *alqd alqa re* pro eo dicitur, quod ap. Cic. est *ornare alqm alqa re*: *alqm*: I 13,2. II 59,3, II 61,3. II 100,4. II 112,2. II 129, 3. — *alqd*: II 27,6. II 62,4. II 119, 5. *honoribus* II 124, 3. — Sall. Iug. 10, 2. Liv. Ov. — Locus quem Hudemann. in Klotzii lex. lat. ex Cic. Phil. II 11, 25 affert, nunc ex optimis codd. emendatus ita legitur: qui me . . . laudibus ornaret.

in gratiam alcjs locutio a Livio primo et saepe (Kuehnast.[2] p. 381) usurpata reperitur II 18, 3 et II 41, 2.

incruentus: haud incruentis certaminibus II 21, 6. non incruentis centurionibus II 112, 6. — Sall. Liv.

indere alicui nomen, cognomen locutio Plautina, quam ne poetae quidem aetatis aureae in libros suos admiserunt, Sallustio et Livio praeeuntibus ap. Vell. legitur: cui ex virtute Macedonici nomen inditum est I 11, 2. ei cognomen Numidici inditum est II 11, 2. (de genetivo nominis paullo insolentiore cfr. Zumpt.[13] § 421.) Fabio . . . cognomen Allobrogico inditum II 10, 2. quod cognomen illi . . . consensus universi senatus populique Romani indidit II 91, 1.

inenarrabilis: mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate II 99, 2. — Liv. XLI 15, 2. (ubi non *inenarrabiliter* — ita Hudem. in Klotzii lex. lat. — sed cum Hertzio *inenarrabili tabe* legendum est). id. XLIIII 5, 1.

inescare: veluti inescandae inliciendaeque multitudinis II 13, 2. — Ter. Ad. 220. Liv.

inexsuperabilis vox a Livio novata (Kuehnast.[2] p. 341) de rebus usurpatur: inexsuperabiles (difficultates)

II 120, 4. — paullo insolentius dicitur de personis: inexsuperabili manu (praedonum) II 32, 4.

[*inicere rixam*] i. s. q. rixam ciere: de industria rixam iniciens . . . interemptus est I 2, 1. — Ubi *rixam iniciens* legendum esse, non *rixam ciens*, quod Halmius solus recentiorum praeeuntibus Burerio Ruhnkenio aliis in verborum ordinem recepit, in primis mihi persuasit Krausius in Addend. et Corrigend. p. XXX.

Ad commendandum dicendi usum Krausius bene contulit Liv. III 64, 6 (inicere contentionem) ubi Drakenb. congessit plura. — Minus apposite Georges l. l. p. 48 attulit Cic. Cat. III 3, 7: 'ne temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur', cuius loci ratio diversa est.

inquies ap. Sall., qui primus hoc adiectivum usurpasse videtur, quinque invenitur locis. Eum secutus Noster dixit: vir inquies II 68, 3. animus inquies II 77, 2.

inquietus: C. Marius . . . impotens semperque inquietus II 11, 1. — Hor. C. III 3, 5. id. Ep. 5, 95. Liv. I 46, 2. III 46, 2. V 42, 6.

intactus: intacta perniciosis consiliis plebs II 3, 2. — Cael. ap. Cic. fam. VIII 2, 1. Sall. Liv. Usitatissima vero haec vox est poetis.

interrogare alqm sententiam contra classicorum scriptorum consuetudinem dicitur: hic interrogatus sententiam II 35, 3. — Liv. XXXVI 7, 1.

ludicrum subst. i. q. ἀγών I 8, 2. II 123, 1. — Liv. (*ludicrum certamen* Olympiorum I 8, 1.)

mammilla: cum mucronem gladii . . . sinistrae admovisset mammillae II 70, 5. — Plaut. Pseud. I 2, 47. (180). Varro.

mentionem habere dicitur contra perpetuum scriptorum classicorum usum: Caesaris nulla habita mentio II

62, 5. — Liv. XXXVIII 56, 7. — Non minus insolens est locutio *mentionem iacere*, quae II 65, 1 legitur: condicionum iacta mentio. — Hor. S. I 4, 93 sq. *mentionem inicere* Liv. XXXVIII 25, 5: iactae sunt pacis condiciones. — cf. Boettich. lex. Tac. v. *iacere* p. 234.

mentiri ut *ementiri* cum acc. iungitur: mentitus regiae stirpis originem II 4, 1. Sall. Cat. 48, 6. Liv. X 40,4.

munificentia II 40, 1. II 81, 3. II 126, 4. II 130, 1. — Sall. Liv. (? Cic. Scaur. 47.)

naumachia ναυμαχία: naumachiae et equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis... replevit eam (urbem) II 56, 1. gladiatorii muneris naumachiaeque spectaculis divus Augustus... animos oculosque populi Romani repleverat II 100, 2. — De hoc vocabulo cf. Friedl. Sittengesch. II[5] p. 367 adnot. 9.

obsidionalis vox Liviana: in Africa obsidionali (corona) donatus I 12, 4.

obtruncare: hunc Orestes matremque . . . obtruncat I 1, 3. — Plaut. Poet. ap. Cic. n. d. III 26, 67. Saepius ap. Sall. Verg. Liv.

occursus: contracta ex occursu rixa II 47, 4. quo ‖occursu‖ (*occursus* ÀP), quo favore hominum . . . exceptus sit II 89, 1. Ov. Met. XIV 256, XV 523. Liv. V 41, 5.

ovantem triumphare i. s. q. ovare: huius victoriae compos Nero ovans triumphavit II 96, 3. quis enim dubitare potest, quin . . . ovans triumphare debuerit II 122, 1. — Aug. in mon. Ancyr. p. 1,21 (C I L III 774). '*Triumphare* h. l. tamquam vocabulum generis adiectum est.' Kraus.

pensare transl. usurpatur: victoriae occasio, quam damno amissi pensaret militis II 115, 5. [praematura morte] immortalem nominis sui pensavit memoriam II 88, 3. — Sall. Liv. Poetae. — cf. 1. *repensare*.

plastes πλάστης: hoc idem evenisse grammaticis plastis I 17,4. — Vitr. I 1,13 = 8,12. Rose.

pollicitari unum ex priscis illis Sallustii verbis: senatorum equitumque Romanorum exactae ad id bellum operae: ‖prompte‖ pollicitati II 111,1.

postferre: cum et Brutus cuilibet praeferendus videretur et Vatinius nulli non esset postferendus II 69,3. — cf. Drakenb. ad Liv. III 64,3.

praematurus transl. usurpatur: praematura morte II 88,3. — Planc. ap. Cic. fam. X 8,4. Liv. XLII 16,9. — (Ap. Cic. saepius legitur: *immatura mors*.)

praevalere: Maroboduus corpore praevalens II 108,2. — cf. Drakenb. ad Liv. XL 47,2. — cf. 3. *praevalidus*.

profectus i. q. *processus*: in similitudine et temporum et profectuum ('*profectus* dotes studio comparatae' Kraus.) I 16,2. — Neglegentius Georges l. l. p. 10 hoc vocabulum ap. Velleium primum inveniri contendit. Legitur enim *profectus* Varr. r. r. I 2,23. Ov. Met. IX 50 id. Pont. III 5,58. III 9,40.

quadrans: qua (lege) creditoribus quadrantem solvi iusserat II 23,2. — Scriptores r. r.

rebellare vox Liviana (quam hodieque nonnulli falso Hirtio b. G. VIII 44,1 obtrudunt. — Caes. semper dixit *rebellionem facere*) I 11,2. II 23,4. II 100,1. II 110,3. — Ov. Met. IX 81, XIII 619.

Quid sibi velit Georges p. 50 ita disputans: '*rebellare* i. s. q. *bellum renovare*, non: *tumultum movere* praeeunte Liv. saepissime apud Velleium' me nescire fateor. Quis enim veterum scriptorum unquam hoc verbum ista signif. usurpavit?

semianimis, quod vocabulum Sallustius in prosam orationem videtur induxisse, legitur II 27,3: Telesinus postera die semianimis repertus est. — De duplici huius adiectivi forma cf. Neue II² p. 89.

semiustus: Vari corpus semiustum II 119, 5. — (? Cic. Scaur. 29.)

simplicitas ut nonnunquam ap. Liv., saepissime in Ovidii libris est *integritas*: hunc nobilissimae simplicitatis iuvenem II 10, 2. eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis viri II 72,3. vir simplicitatis generosissimae II 125,5. viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intellegi potest II 43,4.

speciose: domus . . . speciose a senatu restituta est II 45,3. — Auct. b. Af. 48. et posteriores.

stare pro, *contra* transl. usurpatur: hic primo pro Pompei partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit II 48,4. collegae pro bono publico stanti II 2, 3. — Nep. XIX 4, 1. Ov. a. a. I 200. id. Trist. I 2, 5. — Liv. II 12, 14. XXVIII 8,3. XXXVIII 25,8.

subclamare pro *acclamare*: subclamavit universa contio II 32,1. — D. Brutus ap. Cic. fam. XI 13,3: 'succlamatum est, et frequenter a militibus . . .' sequente acc. c. inf. — Liv. — Commode comparavit Ruhnk. Plut. Pomp. 25 eandem rem sic enarrantem: ὑπεφώνησαν ἅπαντες.

subtexere per transl. i. s. q. I 14, 1 *inserere*: huic rei civitates propagatas auctumque Romanorum nomen ... haud intempestive subtexturi videmur I 14, 1. — Poetae, Nep. XXV 18, 2. Liv. XXXVII 48, 6 sequente acc. c. inf.

superfundere: superfuso . . . altaribus sanguine II 22, 2. — Liv. VII 3, 2. Ov. Met. II 459.

[*supervacuus*]: paene magis necessaria praetereunda quam supervacua amplectenda I 16,1. — Poetae, Liv. Vitr. — Halmius sine iusta causa Orellio praeeunte scripsit *supervacanea* (*supervania* A *supervacua* P). Equi-

dem ex eo, quod II 36,2. *supervacaneum* legitur, tantum a codicis vestigio recedendi potestatem mihi non sumpserim.

‖*trimus*‖: Nero quo trimo (*primo* A P) . . . Livia . . . Caesari nupserat II 94,1.

ultio vox a Livio (VII 30,14) novata his exstat locis: II 7,6 (bis). II 65,1. II 125,3.

violatio vox a Livio primo usurpata: publicam violationem fidei II 1,5.

violator: violator eius domus II 100,4. — Ov. Pont. II 2,27: templi violator. Liv. XXIX 18,18: a violatoribus (sc. templi) gravia piacula exegit.

5. Vocabula eadem significatione iam apud Velleio antiquiores obvia, sed a classicis scriptoribus diversa potestate usurpata.

abscindere transl. usurpatur: abscisaque scelere Antonii vox publica est II 66,2. — Liv. (cf. Cic. ad Att. II 7,1: quarum (orationum) alteram non libebat mihi scribere, quia abscideram. — Sed hic locus non is est, de quo dubitari nequeat.)

adhaerere c. dat. iunctum eadem signif. qua ap. Cic. *haerere alicui* s. *in alqo* usurpatur: invidia altissimis . . . adhaereat I 9,6. — Hor. S. II 2, 56. Liv. XLI 20,2.

adicere absol. positum est loquendo addere et sequente acc. c. inf. usurpatur II 27,2, sequente oratione directa quae dicitur II 32,1. II 104,1. II 114,3 (II 53,4). — Liv. VI 6, 16. (cf. et corrige Draeger. II^2 p. 396.) Prop. V 2,41. Ov. Met. IX 570.

Non minus recedens ab optimorum scriptorum loquendi usu Vell. dixit II 28,4: adiectum etiam, ut bona proscriptorum venirent. — cf. Liv. II 27,10.

aevum de *vitae tempore* usurpatur: omne aevi sui spatium

II 89,6. C. Marius, septiens consulis filius . . . vir animi magis quam aevi paterni (quippe qui adulescens interemptus patrem aetate non aequaverit) II 26, 1. — Latiore signif. dicitur pro *spatio temporis*: I 17,2. per idem aevi spatium II 9, 3. — II 13, 2. II 36, 3. II 66, 5. — cf. quae luculenter de huius vocabuli quasi historia Klotzius disserit in lex. lat.

|| *aperire* || *coniurationem*: Cicero . . . coniurationem . . . aperuit (*eripuit* AP) II 34, 3. — cf. Sall. Cat. 40,6., qui tamen multo saepius sollemni locutione quae est c. *patefacere*, usus est.

auctoramentum i. s. q. *praemium*: iugulati civis Romani publice constitueretur auctoramentum II 28,3. auctoramento funebri ad . . . consulis inritando necem II 66, 3. — Ap. Cic. autem (de off. I 42, 150) *auctoramentum* non, ut Georges p. 12 interpretatur, 'contractus est, quo quis se mercede pacta ad alqd velut ad ludos gladiatorios obligat' — ista signif. hoc vocabulum exstat ap. Sen. Ep. IV 8,1 et alios — sed haud dubie accipiendum est de *mercede ipsa*. Quod ita esse ut ipse persuadere tibi possis, locum illum Cic. adscribo: Inliberales autem et sordidi quaestus mercennariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur; est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis.

celeber, quam vocem omnium scriptorum Livio et Ovidio vetustiorum consuetudo nisi rebus non tribuit, de personis dicitur his locis: II 9,2 et 6. II 16,1 et 2. II 17,2. II 18,5. II 22,4. II 26,2. II 34,1. II 78,1. II 86,2. II 116,2. — (cf. tamen Cic. off. II 13, 44: si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis). A Livio hoc adiectivum duobis tantummodo locis de hominibus usurpatum est (Kuehnast.[2] p. 340), saepius ab Ovidio.

confinium transl. usurpatur: in quam arto salutis exitiique fuerimus confinio II 124,1. — Similia exhibent Cornif. ad Her. IV 11, 16 et saepius Ovidius.

|| *culmen* || transl. ponitur: ille senatus dies . . . virtutem M. Catonis . . . in altissimo culmine locavit (*luminavit* AP) II 35, 1. — Liv.

destinare contra constantem optimorum scriptorum usum usurpatur pro *designare*: mihi fratrique meo . . . destinari praetoribus contigit II 124,4. (De dativo praetoribus cf. Z.[13] § 601.) — Liv. X 22,1. XXXIX 32,9. — cf. Boettich. lex. Tac. p. 153 sq.

excedere alqd transl. signif. inde a Livio usurpatum (nam Caes. C. III 36, 1 Nipperdeius invitis membranis scripsit: in novitate rem fama *excedit*; codices exhibent *antecedit*) his legitur locis: I 9, 6. I 16, 1. II 66,3. II 51,3. II 56,1. II 122, 2.

fugax propria exstat signif.: fugacissimi militis II 85,5. — Poetae, Liv. — Caes. hoc adiectivum nunquam, Cic. semel et quidem transl. pro *caduco* usurpavit fam. X 12,5.

globus est *constipata et in unum coartata manus*: hi una cum coniurationis globo, stipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupavere II 58,2. — cf. Kritz. ad Sall. Iug. 85,10.

impellere inde a Livio usurpatur pro *repellere*, *prosternere*: impulsis hostibus II 70,1. quo (proelio) graviter impulsi sunt Caesaris milites II 51,3.

inserere transl. i. s. q. *intexere, interponere*: huic loco inserere I 14, 1. non tempero mihi, quin tantae rerum magnitudini hoc . . . inseram II 107, 1. actorum eiusdem insertis falsis vitiatisque corrupti commentarii II 60, 4. — Liv. V 21, 8. Ov. Trist. II 444.

mitescere transl. ponitur: agentes gratias, quod . . . feritas sua novitate incognitae disciplinae mitesceret II

118, 1. — Liv. (Cic. Oec. ap. Gell. XV 5, 8 hoc verbum proprie usurpavit.)

naturalis vocabulo cognationis gradum significanti tribuitur: Agrippa . . . adoptatus ab avo suo naturali II 112, 7. — Liv. XLII 52, 5: circa se habens duos filios, cuius paris Philippus *natura frater*, adoptione filius, minor, quem Alexandrum vocabant, *naturalis* erat. (Contra Cic. Verr. III 69, 162: tuus *natura filius* cl. Rab. Post. 17, 45. Phil. III 6, 15: *natura pater*. cf. Naegelsb. — J. Muell.[7] p. 230.

nitere transl. de personis dictum i. s. q. *florere*: nituerunt oratores Scipio Aemilianus etc. II 9, 1. — cf. Liv. III 12, 5: L. Lucretius . . . recenti gloria nitens. — De rebus *nitere* transl. signif. iam a Cicerone saepius usurpatum est (Balb. 6, 16. leg. agr. I 7, 21. Brut. 67, 238. fin. IV 3, 5).

nomen Sall. et Liv. praeeuntibus eadem qua *populus, res publica, imperium* signif. usurpatur: clarissimus Grai nominis I 6, 3. Romanum nomen I 12, 5 I 14, 1. II 27, 1. II 52, 3. II 53, 2. II 60, 1. II 128, 3. II 131, 1.

praecedere verbum a Ciceronis usu alienum, quod Caes. semel transl. pro *superare* usurpavit, propria exstat signif.: ut . . . nuntios periculi victoriae praecederet nuntius II 129, 3. — Poetae, Liv. — cf. Ladew.[7] ad Verg. Aen. IX 47.

praecipitare i. q. *evertere*: quieta aut certe non praecipitata (re publica) II 48, 6. — Liv. XXII 12, 11: ad rem publicam praecipitandam. — (Contra Cic. Sull. 1, 1: praecipitante re publica. ibid. 31, 87: rei publicae praecipitanti subveni.) Ov. Pont. III 1, 140.

praeterire per transl. i. s. q. *superare*: ubi aut praeteriri aut aequari eos posse desperavimus I 17, 7. Varr. r.

r. I 1, 10. Auct. Tull. in Sall. 1, 2. Vitr. I 1, 16 = 10, 11. R. Ov. Fast. V 304. Pont. IV 7, 51.

princeps et

principatus persaepe ap. Velleium isdem atque in Cic. et Caes. libris significationibus leguntur. Sed eversa re publica *princeps* inde ab Augusto sollemnis imperatorum erat titulus, *principatus* dicebatur *imperium principis* (ut a Velleio II 89,6. II 124,2. II 129, 1). Cum autem omnes ex Velleio locos, quibus *princeps* nova illa potestate legitur, congerere non tanti sit, nonnullos afferre satis habeo, qui vocabulorum oppositione ad mutatam vocis notionem illustrandam valeant: ut potius aequalem *civem* quam eminentem liceret agere *principem* II 124,2. facere recte *civis* suos *princeps* optimus faciendo docet II 126, 5. iudicia *civitatis* cum iudiciis *principis* certant II 128, 1. ut *senator* et *iudex*, non ut *princeps* causam . . . audivit II 129, 2. — *principes* dicuntur Augustus et Tiberius II 115, 3: consentiente cum iudicio principum voluntate senatus. — Denique non incommodum puto hunc adscribere locum: *principes* viri . . . adhortatu *principis* (Augusti) ad ornandam urbem inlecti sunt II 89, 4.

prior i. q. *potior, praestantior:* ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur I 17, 7. potentiorque habitus prior II 3, 3. neque prius neque antiquius quidquam habuit II 52, 4. — Sall. Poetae, Liv.

Deinde *prior* paullo insolentius i. s. q. maior (natu): potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriae posterior aperuit II 1, 1. prior filius Tigranis II 37, 3. — Nep. X 1, 3: Dionysius prior. Quint. III 8, 37: Scipio prior. id. XI 1, 12: prior Africanus.

promere pro *exponere:* rerum ordo cum iustis aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris expli-

cabitur II 48, 5. — Plaut. Asin. I 1, 11 (26). Hor. Liv. XXX 12, 8.

protegere, cui verbo apud classicos qui dicuntur scriptores semper *defendendi* vis subest, pro *celare* ponitur: Crispinus singularem nequitiam supercilio truci protegens II 100, 5. — Liv. XXV 5, 1: fraudem audacia protegens.

publicare i. s. q. *publici iuris facere:* lectica eius publicata II 114, 2. — Plaut. Bacch. 863. Liv. III 31, 1.

Romana subst.: Livia . . . forma Romanarum eminentissima II 75, 3. — Liv. I 26, 4.

scriptura sensu concreto ponitur pro *libro, scripto:* aciem Pharsalicam et illum cruentissimum Romano nomini diem . . . non recipit enarranda hic scripturae modus II 52, 3. — Ter. Ad. pr. 1. id. Hec. pr. 13. (pr. Amb. 5.) Vitr. V 4, 1 = 110, 21. R. et saepius. — Georgem vero p. 14 *scripturam* h. l. accipere pro *modo scribendi* i. e. *stilo,* valde miror. (cf. II 29, 2: operis modus). cf. 2 *scriptura.*

sensus i. s. q. ap. Cic. *sententia*: Pomponium sensibus celebrem, verbis rudem II 9, 6. — Vitr. V praef. 2 = 103, 15. R. et saepius. — cf. Quint. VIII 5, 2: sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus.

situs ad personas refertur: cis Rhenum sitarum gentium II 120, 3. — Sall. Hist. ep. Mith. 17. (Jord. Sall.[3] p. 124.)

testudo per metonymiam *testudinis testam* significat: apparatus . . . Alexandrini (triumphi) testudine . . . constitit II 56, 2. — Varro, Poetae.

titulus i. s. q. *inscriptio*: titulis forum eius praenitet II 39, 2. — *titulus* pro *specie* dicitur: sub honorificentissimo ministerii titulo II 45, 4.

transgredi i. s. q. saepissime ap. Vell. *excedere*: duode-

vicesimum transgressus annum II 7, 2. — Sall. Hist. i. 80 D.: communem habitum transgressus. — cf. 2 *transgredi* et 2 *egredi*.

vindicta, quae vox ap. Cic. virgulam illam praetoris significat, pro *patrocinio* usurpatur: utrique vindicta libertatis morte stetit II 64, 4. — Ov. Liv. — cf. 2 *vindicta*.

viritim i. fere q. *nominatim*: ipsum viritim (i. e. unum ex omnibus) civitate donando II 16, 3. — Similiter Sall. Iug. 49, 4: viritim, uti quemque . . . extulerat, commonefacere beneficii sui et eum ipsum aliis ostentare.

Theses.

1. *Festinatio* illa totiens a Velleio commemorata (cf. Kritz. Proleg. ad Vell. p. XXII) non de tempore urgente accipienda est — id quod adhuc omnes fecerunt — sed de operis tenuitate et brevitate.

2. In Xenoph. hist. graec. I 1,11 verba *εἰς Κύζικον* ut spuria uncis includenda sunt.

Vita.

Natus sum Fridericus Milkau Loetziae, in oppidulo Prussiae orientalis a. d IV Kal. Oct. anno huius saeculi LIX patre Friderico, matre Marianna de gente Bleyer. Fidei addictus sum evangelicae. Primis elementis in urbe patria institutus autumno anni 1874 gymnasium Rastenburgii adii. Vere anni 1878 testimonium maturitatis adeptus in almam universitatem Regimontanam me contuli, ut in studiis potissimum antiquitatis tempus operamque collocarem. Audivi per quattuor annos viros illustrissimos hos:

Bezzenberger, Garbe, Friedländer, Hirschfeld, Jordan †, *Lehrs* †, *Ludwich*, *Quäbicker* †, *Rühl*, *Schade, Walter.*

Vere anni 1884 examen quod dicitur pro facultate docendi superavi. Deinde postquam docendi tirocinium annuum posui Regim. in gymnasio Palaeopolitano, quod etiamnunc floret auspiciis viri doctissimi *H. Babucke*, in compluribus huius urbis scholis partes magistrorum gravi morbo afflictorum sustinui.

Omnibus viris doctis quos nominavi, pro fructibus, quos et ex disciplina et ex benevolentia eorum percepi, gratias ago semperque agam quam maximas.